
COMPENDIUM
PHILOSOPHICO-THEOLOGICUM
PRO DIVERSO, ET EODEM
AD TYRONES BACCONISTAS UTILISSIMUM
Juxta Scripta
DOCTORIS RESOLUTI
JOANNIS BACCONII
Philoſophorum, & Theologorum ſui temporis Principis,
AUTHORE

FR. EMMANUELE
IGNATIO COUTINHO
Ulyſſiponenſi
Ordinis Carmelitarum antiquæ obſervantiæ Regulari, In Conimbricenſi Academia Sacræ Theologiæ Doctore, olim in Regio Carmelitano Collegio, & Eborenſi Cœnobio Artium Lectore, nunc Sanctæ Theologiæ Profeſſore.



ULYSSIPONE ORIENTALI,
EX TYPOGRAPHIA AUGUSTINIANA.
Anno M. DCC. XXXIV.

Cum facultate Superiorum.



PRÆCLARISSIMO DOMINO
D. ANTONIO
VELHO DA COSTA.

Christi militiæ publico Equiti, Cæsareæ Jurisprudentiæ Præceptori litteratissimo, Senatori Regio, Pontificii, Regalisque Collegii Conimbricensis Collegæ Ornatissimo, & non semel Rectori Vigilantissimo, ad suprema dignitatum fastigia omnium votis, & propriis meritis sublimando.




E, Domine præclarissime, Mæcenatem invoco, & Protectorem adprecor; non enim potui hanc occasionem præterire, sed

eam opportunam judicavi, ad testandum meum erga Te studium, & affectum; talis namque est voluntatis propensio, atque impetus, quo in Te feror, ut opus istud, quod affero, protectioni Tuæ retardare non possim. Egregiæ profectó sunt Tui animi dotes, interquas liberalitas, & benevolentia micant Splendorem Tui Sanguinis, & Tuæ Sapientiæ copiam illustrantes. Hæc ita Tibi conciliant, ut fama Tui nominis, Tuarumque virtutum, omnium Lusitanorum, præcipué Academicorum Conimbricencium animos, voluntatesque devinxerit. Ob Tuam modestiam laudes effundere prohibeor; nec tamen ego afferre aliquid possum, quod Tuis meritis ulla ex parte respondeat. Unicum peto: Fave begnine huic operi, & me Tibi addictum, obstrictumque habe in æternum.

Servus tuus devinctissimus, & obsequentissimus

Fr. Emmanuel Ignatius Coutinho.

PRO-



PROLOGOMENON

AD SCHOLARES CARMELITANOS.



RO difficili, arduâque materiâ de Diverſo, & Eodem peculiarem compilarunt tractatum cujuſcumque Scholæ ſectatores. Ad mentem Divi Thomæ, Bartholomeus Manſolius: ad mentem Scoti, Antonius Sirectus: Ad mentem Ægidii, Auguſtinus Muſæus: ad mentem Averroes, Archellinus: Aureolus tandem, Gabriel, & cæteri Nominales de Diverſo, & Eodem ſuam utique tradiderunt ſententiam. Hæc me movent, ut prodire faciam hoc Compendium ad mentem Bacconii noſtri elaboratum, ut tribuere poſſitis quod ſuum eſt unicuique. Adhæreo veſtigiis noſtrorum Magiſtrorum præcipué Anteſignani Commentatorum, omniumque diſcipulum eſſe venerabundé de-

monſtro ; diſſimulare tamen non potui ullas difficultates, quæ mihi, contra aliquos ejuſdem D. Commentatores, dum huic operi incumberem, occurrebant. Animus erat prælo parare Compendium pro universâ Bacconii Philoſophiâ ; verûm non velocitate, & celeritate res magnæ geruntur, ſed conſilio, maturitate, & labore. Pro nunc ſufficiat Compendium hoc vobis, ut arbitror, utiliſſimum, fortaſſé temporis decurſu, integrum dabo curſum Philoſophicum, favente Divinâ Gratiâ.

VI-



VITA
DOCTORIS RESOLUTI JOANNIS BACCONII, CARMELITÆ

EX PTISEO DE ILLUSTRIBUS Angliæ Scriptoribus, & Lesana tom. 4. Annal. Carm. sub anno Christi 1329. 33. & 36. quam referunt Hierouymus Aymus, & Josephus Zagaglia.



OANNES de Baccone ex Bacondorpio in Norfolcensi regione pagonatus, & non longè á natalitio loco in ipsa adolescentia Carmelitanus Monachus in Cœnobio Nigrensi, vulgò Blanchney quinque circiter passuum millibus à Valsingano, uti scribit Lelandus, intra privatos parietes sub optimis Ordinis sui Magistris litteras humaniores, disciplinam Monasticam, omnemque pietatem, atque virtutem humiliter didicit. Tandem ingenii specimen tantum dedit, ut iis, quo-

rum regimini subjiciebatur, expedire visum sit, eum Oxonium ad altiora studia capescenda mittere. Illic igitur Philosophicum cursum terminavit, Theologicum inchoavit. Sed inde missus Lutetiam perrexit, ut quæ in patria fæliciter inceperat, apud Exteros fælicius perficeret, & finiret. In omnibus nullius bonam de se opinionem conceptam fefellit, omnino omnem plane omnium spem longè superavit. Ibi utriusque Juris, & Theologiæ Doctor creatus est, admirantibus omnibus stupendum hominis ingenium, multiplicem doctrinam, & solidum judicium. Omnes Averrois sententias (*in iis, quæ orthodoxæ Fidei non adversantur*) mordicus tenuit, & illius Scholæ suo tempore quasi Princeps haberi voluit, cognomentum etiam accepit Doctoris Resoluti. Collecto igitur undique instar apis sedulæ dulcissimo scientiarum melle, in patriam reversus est, & non multo post tempore Anno Dñi 1329. Londini in publico suorum Conventu communibus omnium suffragiis in Provincialem totius per Angliam Ordinis ordine duodecimo electus est. Post quartum an-

num

num ſui Provincialatûs Romam vocatus eſt ſuper graviſſimis de Matrimonio dubiis. Et tunc cœpit fama hominis apud Italos, utî prius apud Gallos, magis, magiſque indies clareſcere. Erat quidem ut alter Zaccheus ſtatura puſillus, ſed ingenio magnus, ut mirum ſit in tam exili corpuſculo tantas habitaſſe virtutes, & naturam in tantillo homuncione tam ſublimé collocaſſe ingenium. Poſt Italiam, & Galliam peragratam ad propria reverſus terris moritur, Cælis victurus. Tam ingentia ſcripſit volumina, ut corpus non tuliſſet quod ingenium protulerat, nam ſi moles librorum ejus compoſita ſarcina Authoris humeris impoſita fuiſſet, homulum ſine dubio comprimere ſuffeciſſet. Ex illo ordine [quamtumvis doctiſſimorum Carmelitarum ferax Anglia] vix huic unquam produxit parem, imò vix orbis Chriſtianus illa ætate doctiorem. Nemo doctiùs confundebat Judæos. Nemo nervoſiùs confutabat Turcas, vel quoſcunque infideles: Nemo ſoliciùs expugnabat Hæreticos: Nemo ſolidiùs Chriſti veritatem dilucidabat: Nemo manifeſtiùs Antichriſti falſitatem, & impoſturas

posturas detegebat, suisque coloribus depingebat: Nemo subtiliùs difficiles nodos solvebat: Nemo clariùs obscura Sacræ Scripturæ loca explanabat, & sensus reconditos, & arcana mysteria dilucidiùs aperiebat: tales enim laudes ei, nec immeritò tribuit Paulus Pansa Doctor Italus. Sed quid hominis virtutes omni laude maiores, hic laudare aggredior? loquantur pro Authore opera ejus, & illi præbeant copiosam laudandi materiam, qui de eo prolixam laudationem instituere cupiunt. Satis nobis est dicere eum ex suis Scriptis apud omnem posteritatem tam immortalem famam esse consequutum, ut illam nulla unquam delere oblivio, vel obscurare valeat vetustas: unde, ut inquit ille, casurum nullo tempore nomen habet. Quæ veró, vel quot volumina à Baccone conscripta sint, quia laboriosum est singula recensere, summatim perstringemus. Scripsit autem

In Universam Sacram Scripturam libros 90.

De Æternitate Dei l. 1.

In S. Aug. de Civit. Dei lib. 22.

In

In eumdem de Trinit. l. 15.
In S. Anselmum de Inc. l. 1.
In eundem cur Deus homo? l. 2.
De Fide, & Baptismo l. 1.
Sermonum l. 3.
De Adventu Messiæ l. 1.
Comp. leg. Christi l. 1.
De Dominio Christi l. 1.
De Concept. MARIÆ l. 4.
De Cessatione legalium l. 1.
De Regulis Christianæ Fidei l. 1.
De Præceptis, & Consiliis l. 1.
Compendium vitæ Christianæ l. 4.
De Peccatis, & Remediis l. 1.
De Perfectione Justitiæ l. 1.
De Sanctif. Festarum l. 1.
In Canones Pontificum l. 1.
De Generali judicio l. 1.
De Beatorum Visione l. 1.
In Mag. sententiarum l. 4.
Quæstiones ordinarias l. 1.
Placita Theologica l. 3.
Determinationum l. 1.
De Jurisdictione Claustralium l. 1.
Tractat. de suo ordine l. 1.
In Regulam Carmeli l. 1.

Com-

Compendium Jurium Carmelit. l. 1.
De non ducenda fatria l. 1.
Contra ſuperſtitiones l. 1.
Contra vanitates ſæculi l. 1.
Contra Idolatriam l. 1.
De Sphæra Judiciali l. 1.
De Aſtrorum Scientia l. 1.
Contra Joannem de Poliaco l. 1.
De Judæorum perfidia l. 1.
Ration. contra Judæos l. 1.
In Univerſam Philoſophiam Ariſtotelis l. 80.

Ex quibus elicitur ipſum inter maiores totius Eccleſiæ Scriptores jure nominandum fore. De ipſo ut præclariſſimo ſui ſæli viro agunt nec dum Hiſtorici Carmelitæ, ſed alii quamplures honorifico ipſum titulo honeſtantes. Inter alios Evernerus Rovelink, Jacobus Philippus Bergomenſis, Guilelmus Einſegrineus, eum Sanctum appellans, Joannes Tritemius, Jacobus de Plebe Servita, Sixtus Sennenſis, á quo appellatur Theologorum ſui temporis Princeps, Bellarminus, Poſſevinus, Harpsfeldius, Fabianus Juſtinianus, Paulus Panſa, & alii.

AD-

ADMONITIO NECESSARIA ex Constitutionibus Ordinis correctis decreto Capituli generalis celebrati anno 1625. Relictis antiquioribus.

IN Cōventibus solemnioribus, & in illis, qui sunt in Universitatibus, non solùm deputentur apprimé docti, & resoluti Magistri, qui legant quotidie Artes, & Theologiam solemniter, & disputationibus quotidianis præsint; sed etiam deputetur conveniens numerus studentium, &c. Et studeant omnes in primis Doctorum nostri Ordinis determinationes sustinere, & allegare, & præsertim Joannis Bacconii Doctoris Resoluti, &c.

ORDINIS FACULTAS.

CENSURA REVERENDISSIMI P. M. Fr. Josephi de Lima Carmelitani, antiquæ observantiæ Regularis, olim Carmelitanæ gentis Chronolographi, hujus Provinciæ Definitoris Maximi, in Ulyssiponensi Cænobio studiorum Regentis, & in statu Maranianiæ Provincialis, illiusque Diœcesis Provisoris dignissimi, nunc Summi Pontificis Protonotarii Apostolici, & Sanctæ Cruciatæ doctissimi Consultoris, in Sacra Theologia Magistri emeriti.

NOstri adm. R. P. Provincialis Mag. Fr. Jacobi de Sampaio jussui obtemperans hunc recognovi librum sub titulo *Compendium Philosophico-Theologicum pro Diverso, & Eodem juxta Scripta Doctoris Resoluti Joannis Bacconii, &c.* elaboratum a Reverendo admodum P. Fr. Emmanuele Ignatio Coutinho in Conimbricensi Aca-

Academia Sacræ Theologiæ Doctore olim in Regali Conimbricensi Carmelitano Collegio, & in Eborensi Carmelitano Conventu Artium Lectore; modò in Regio Eliano Athenæo Sacræ Theologiæ Professore, & nihil in hoc Opere reperitur censurâ dignum; imò potiùs omnes illius paginæ, né dicam apices, panegyristen jure optimo expostulant: in eo enim refulget, cum singulari ingenii acumine, mira claritas in proponendo, profunda peritia in probando, pulchra subtilitas in arguendo, ac in diluendo quidquid contra probatas assertiones objicitur, summa felicitas. Unde absque, vel levi, offendiculo, in lucem valet prodire, ut Tyronibus, quibus paratur, possit prodesse. Ita censeo, &c. In hoc Regali Ulyssiponensi Occidentali Carmelo 20. Februarii an. 1734.

Fr. Josephus de Lima.

CEN-

CENSURA REVERENDISSIMI P. M. Fr. Georgii de Carvalho Carmelitani antiquæ obſervantiæ Regularis. olim in Conimbricenſi Collegio non ſemel Artium Lectoris, in Sacra Theologia jubilati, & quondam Maurenſis Conventûs Prioris vigilantiſſimi, & digniſſimi.

De mandato Noſtri admodum R. P. Provincialis Magiſtri Fr. Jayme de Sampaio omni cura, maiorique curioſitate perlegi hoc opus ſub nomine: *Compendium Philoſophico-Theologicum pro Diverſo, & Eodem Juxta Scripta Doctoris Reſoluti Joannis Bacconii*, adeo diſerté apprimeque conſcriptum à Reverendo admodum Patre Magiſtro Fratre Emmanuele Ignatio Coutinho Sanctæ Theologiæ Doctore in Athenæo Conimbricenſi; inſpecta perſpicuitate, qua R. admodum Pater Magiſter in hoc opere elucidat mentem Noſtri ſapientiſſimi Doctoris Reſoluti, indubitatum habeo, quod ſit utiliſſimum non ſolum Tyronibus, ſed omnibus literarum ſtudioſis Noſtræ Sacræ Religionis, quapropter multum proficuum erit maximé in hac Provinciâ Luſitania, ut abſque cun-

ctatione ulla typis mandetur. Ulyssiponensi Occidentali Carmelo 22. Martii 1734.

Fr. Georgius de Carvalho.

VIsis approbationibus RR. PP. MM. Fratrum Josephi de Lima, & Georgii de Carvalho de mandato nostri Reverendissimi Patris Generalis M. Fr. Ludovici Benzoni concedimus licentiam, quantum ad nos spectat, Patri Reverendo Fr. Emmanueli Ignatio Coutinho nostræ almæ Provinciæ alumno, ac in Conimbricensi Academia candidato, pro typis mandando suo subtili codice intitulato: *Compendium Philosophico-Theologicum pro Diverso, & Eodem.* Datum in hoc Regali Ulyssiponensi Carmelitarum Conventu die 6. Aprilis de 1734.

Fr. Jayme de Sampaio Provincialis Carmelitarum.

FA-



FACULTAS
CONCILII GENERALIS S. INQUISITIONIS.

CENSURA REVERENDISSIMI P. M. Fr. Emmanuelis de Cerqueira præclarissimæ, pariterque insignis Augustinianorum Familiæ Filii, Sancti Officii Consultoris dignissimi, & Sacræ Theologiæ Lectoris jubilati literatissimi, &c.

EMINENTISSIME DOMINE

COmpendium Philoſophico-Theologicum pro difficili materia de *Diverſo*, & *Eodem* egregiè concinnatum à Reverendiſſimo P. ac ſapientiſſimo Doctore Fr. Emmanuele Ignatio Coutinho Ordinis Carmelitarum ad mentem Doctoris Reſoluti Joannis Bacconii Carmelitæ, juſſu Eminentiſſimæ V. eaqua potui diligentia vidi, & perlegi. Eſt opus ſane aureum; Bacconiſtis non ſolum valde utile, ſed neceſſarium; omnibus gratum, & ma-

gni ponderis apud doctos; & cum nihil contineat contra Fidem; aut morum probitatem; prælo, aut cedro dignum si Eminentissimæ V. placuerit Ulyssipone. In Conventu Dominæ nostræ de Gratia 20. Aprilis 1734.

Magister Fr. Emmanuel de Cerqueira.

CEN-

CENSURA REVERENDISSIMI P. M. Josephi Troiano doctissimæ Congregationis Ulyssiponensis Congregati, Philosophiæ olim, & Theologiæ Professoris, Sanctique Officii Qualificatoris.

EMINENTISSIME DOMINE

CUm librum, cui titulus est: *Compendium Philosophico-Theologicum, pro Diverso, & Eodem* a Reverendissimo P. D. Fr. Emmanuele Ignatio Coutinho Ordinis Carmelitarum antiquæ observantiæ Regulari compositum, accurata lectione, & maturo judicio recognoverim, nil in eo Fidei præceptis dissonum, vel á probis moribus alienum reperi: imo potiùs propter uberem rationum apparatum, solida Bacconistarum, & eorum facilé Principis, authoritate munitum, & continuo ordine digestum, penum dixerim omni provisione refertum, ex qua literati viri ex eadem augusta Carmelitana familia indies florescentes, possint arma depromere ad sophismatum ambages enodandas, & veritates Philosophico-Theologicas persuadendas. Quare hoc Compendium dignissimum judico,

dico, quod in lucem prodeat, & typis mandetur. Si Eminentissimæ V. videbitur. Ulyssipone Occidentali, in Congregatione Oratorii, die 2. Junii an. 1734.

Josephus Troianus.

VIstas as informaçoens, póde-se imprimir o livro intitulado: *Compendium Philosophico-Theologicum, pro Diverso, & Eodem*: Author o Padre Fr. Manoel Ignatio Coutinho; e depois de impresso, tornarà para se conferir, e dar licença que corra, sem a qual naõ correrà. Lisboa Occidental 4. de Junho de 1734.

Lancastre. Teixeira. Sylva. Soares.



ORDINARII FACULTAS.

PO'de-se imprimir o livro de que se tratta, e depois de impresso tornará para se conferir, e dar licença para que corra.

ra. Lisboa Oriental 7. de Junho de 1734.

Pereira de Carvalho.



FACULTAS REGII SENATUS.

CENSURA REVERENDISSIMI P. M. Joannis Baptistæ, eruditissimæ, piissimæque Congregationis Oratorii Ulyssiponensis Congregati Philosophiæ, & Theologiæ Professoris Sapientissimi.

DOMINE.

LIbrum, qui *Compendium Philosophico-Theologicum, pro Diverso, & Eodem* inscribitur, Authore P. M. Fr. Emmanuele Ignatio Coutinho Ordinis Carmelitarum antiquæ observantiæ, diligenter evolvi; nihilque a legibus, jureque Regni in illo abhorrens notavi, imò nihil Philosophiæ ipsi, ac Theologiæ non utile, non decorum; ut potè qui novam lucem, novamque firmitatem doctrinæ Ma-

gniM. Joannis Bacconii mirificè affert; quapropter facultatem, quam poſtulat, libentiſſimé faciendam Judico. Ulyſſipone Occidentali in Congregatione Oratorii die 11. Junii anno 1734.

Joannes Baptiſta.

QUe ſe poſſa imprimir viſtas as licenças do S. Officio, e Ordinario, e depois de impreſſo tornarà â meſa para ſe conferir, e taxar, e dar licença que corra, e ſem iſſo naõ correrà. Lisboa Occidental 21. de Junho de 1734.

Pereira. Teixeira.

QUÆSTIO III.

Utrùm ea, quæ ſunt ſeparabilia arguant etiam Diſtinctionem Realem? p. 37.

QUÆSTIO IV.

Quale ſit adæquatum ſignum Diſtinctionis Realis? p. 44.

SECTIO II.
De Diſtinctione Graduali.

QUÆSTIO I.

Utrùm inter eſſentiam, & exiſtentiam creatam detur Diſtinctio Gradualis? p. 52.

QUÆSTIO II.

Utrùm inter naturam ſubſtantialem creatam, & ſubſiſtentiam detur Diſtinctio Gradualis? p. 76.

SEC-

SECTIO III.
De Distinctione Modali.

QUÆSTIO I.

Utrùm Distinctio Modalis sit propriè Distinctio Realis? p. 95.

QUÆSTIO II.

Utrùm Distinctio Modalis sit maior Distinctione Reali? p. 106.

DISPUTATIO III.
De Distinctione Formali Scotica, & Bacconica.

SECTIO I.
De Distinctione Formali Scotica.

QUÆSTIO I.

Utrùm inter gradus metaphysicos creatos detur Distinctio formalis Scotica? p. 111.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Utrùm inter Essentiam Divinam comparatam cum Attributis, vel inter Attributa ad invicem comparata detur Distinctio formalis Scotica? p. 126.

QUÆSTIO III.

Utrùm inter Essentiam Divinam comparatam cum Relationibus detur Distinctio formalis Scotica? p 141.

SECTIO II.

De Distinctione Formali Bacconica.

QUÆSTIO I.

Utrùm inter gradus metaphysicos creatos detur Distinctio formalis Bacconica? p. 152.

QUÆSTIO II.

Utrûm inter Essentiam Divinam comparatam cum Attributis, vel inter Attributa ad invicem comparata detur

Di-

Distinctio formalis Bacconica? p. 179.

QUÆSTIO III.

Utrùm inter Essentiam Divinam comparatam cum Relationibus detur Distinctio formalis Bacconica?

DISPUTATIO IV.

De Distinctione virtuali, & Distinctione Rationis.

SECTIO I.

De Distinctione virtuali.

QUÆSTIO I.

Utrùm Distinctio virtualis sit maior Distinctione Reali? p. 209.

QUÆSTIO II.

Utrùm Distinctio virtualis Maxima admittenda sit increatis ad salvanda aliqua contradictoria physica? p. 214.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Utrùm Distinctio virtualis Maxima admittenda sit in creatis ad salvanda aliqua contradictoria intentionalia? p. 230.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Distinctio virtualis Maxima admittenda sit in Divinis inter Essentiam, & Relationes ad salvanda aliqua contradictoria physica, sive absoluta? p. 234.

QUÆSTIO V.

Utrùm Distinctio virtualis Maxima admittenda sit in Divinis inter Intellectum, & voluntatem ad salvanda aliqua contradictoria physica, sive absoluta? p. 251.

QUÆSTIO VI.

Utrùm in creatis detur Distinctio virtualis

tualis Minima? pagin. 261.

QUÆSTIO VII.

Utrùm in Divinis detur Distinctio virtualis Minima? p. 265.

SECTIO II.
De Distinctione Rationis.

QUÆSTIO UNICA:

Utrùm Distinctio Rationis sit etiam ex parte objecti? p. 272.

DISPUTATIO V.

De Quidditate, & Quotuplicitate Identitatis.

SECTIO I.
De quidditate Identitatis.

QUÆSTIO UNICA:

In quo consistat Identitas? p. 290.

SEC-


SECTIO II.

De Quotuplicitate Identitatis.

QUÆSTIO UNICA.

Quotuplex sit Identitas? p. 294.

ER-



ERRATA GRAVIORA
Sic corrigenda.

N. indicat paragraphum. L. lineam significat.

Errata	*Corrigenda*
N. 13. l. 4. A, & C.	A, &c.
N. 29. l. 3. fiat	faciat
N. 61. l. 8. & distinctio	& distantia
N. 121. l. 11. *pro nunc*	*sit ita*
N. 197. l. 2. n. 108.	n. 208.
N. 252. l. 12. aliquid, & unum quid, & unum &c.	aliquid, & ali-
N. 279. l. 17. & generans	est generans
N. 282. l. 8. es singularis	res singularis
N. 304. l. 9. esse physicum	esse physico
N. 305. l. 3. Respondet	Respondeo
Ibid. l. 13. n. 212.	292.
N. 315. l. 11. unita est	unitas est
N. 339. l. 7. quo	quos
N. 342. l. ult. n. 211.	n. 291
N. 398. l. 7. possiunt	possunt
N. 471. l. 1. Intelectus	Intellectus
N. 494. l. 8. puré	purè rationis

Hæc statim, cætera ad libitum, corrige.

LICENÇAS.

COhæret cum suo originali. Ulyssipone Orientali in Conventu Dominæ nostræ de Gratia, die 5. Novembris 1734.

Magister Fr. Emmanuel de Cerqueira.

VIsto estar conforme com o original, póde correr. Lisboa Occidental 9. de Novembro de 1734.

Fr. R. Alancastre. Teixeira. Silva. Cabedo. Soares. Abreu.

DOU licença para que corra. Lisboa Oriental 10. de Novembro de 1734.

Pereira de Carvalho.

QUe possa correr. Lisboa Occidental 15. de Novembro de 1734.

Teixeira. Rego.

*** IN-

NOBILISSIMI DOMINI
D. ANDREÆ DE OLIVEIRA
In Diœcesi Visensi Canonici Magistralis,
EPIGRAMMA
AD AUTHOREM.

ECce tuo, Emmanuel, magna includente libello
Nobiscum Deus est, Trinus, & Unus adest.
Cum de Diverso, simul & pertractet Eodem;
Explicat in triplici nomine Numen idem.
Idem Præceptor, Diversus & ipse videris,
Dum capit augmentum mens benè culta novum,
Spiritus afflatu loqueris Divina Superni;
Ignitum eloquium Spiritus intus agit.
Quæ loqueris, scribis; verbis tua scripta cohœrent:
Idem Diversis rebus & ignis inest.
Quod cognomen habes, Ignatius indicat ignem,
Flamine qui Supero crescit in ore, manu.
Quid de te dignum, libroque, quid amplius addam?
Authori nomen conciliabit opus.
Angelicus Doctor toto celebratur in Orbe,
Subtilis nomen, quod Resolutus, habet.
Quæ distincta tibi Distinctio nomina debet,
Distinctum meritò nomen & ipsa dabit.
Egregios inter, quos noscimus, Orbe Magistros,
Distinctus Doctor jure vocandus eris.



INDEX

DISPUTATIONUM, SEctionum, & Quæstionum, quæ in hoc Compendio continentur.

DISPUTATIO I.

De Quidditate, & Quotuplicitate Distinctionis.

SECTIO I.

De Quidditate Distinctionis.

QUÆSTIO UNICA.

IN quo consistat Distinctio, pagin. 1.

SECTIO II.
De Quotuplicitate Distinctionis.

QUÆSTIO UNICA.

Quotuplex sit Distinctio? p. 17.

DISPUTATIO II.
De Distinctione Reali, Graduali, & Modali.

SECTIO I.
De Distinctione Reali.

QUÆSTIO I.

Vtrúm oppositio producentis, & producti, causantis, & causati arguant Distinctionem Realem? p. 25.

QUÆSTIO II.

Vtrúm ea, quæ sunt in pluribus rebus, seu subjectis realiter distinctis sint etiam signa Distinctionis Realis? p. 31.

QUÆ-



COMPENDIUM PHILOSOPHICO-THEOLOGICUM PRO DIVERSO, ET EODEM,

QUINQUE INVOLVENS DISPUTATIONES.

Prima agit de Quidditate, & Quotuplicitate Distinctionis. Secunda de Distinctione Reali, Graduali, & Modali. Tertia de Distinctione Formali Scotica, & Bacconica Quarta de Distinctione Virtuali, & Distinctione Rationis. Quinta de Quidditate, & Quotuplicitate Identitatis.

DISPUTATIO I.

De Quidditate, & Quotuplicitate Distinctionis.

SECTIO I.

De Quidditate Distinctionis.

QUÆSTIO UNICA.

In quo consistat Distinctio?

1 RESOLUTIO : Distinctio stat formaliter in negatione identitatis. Deducitur ex Doctore (quidquid garrulent moderni Bacconistæ) *Baccon.* in 1. dist. 33. q. 1. art. 2. §. 4. V. *Item. Hæc est intentio Philosophi*, ubi hæc habet : *Sed certum est quòd diversum, dis-*

dissimile, & inæquale sunt privationes, & in rei veritate privatio unitatis. Hanc tenent Mag. Bona-Spes in Log. disp. 2. de Distinctionibus dub. 1. n. 108. Mag. Lumbier tom. 1. Theologiæ q. 14. art. 5. §. 1. n. 786. Mag. Zagaglia tom. 4. tractatu 2. disp. 7. sectione 1. n. 8. ad illa verba: *Dico, quod distinctio ut sic non dicit perfectionem, cùm consistat in negatione.* Hæc videtur mens Mag. Garciæ in Megalogica dist. 2. q. 1. art. 3. §. 1. n. 479. Et est in re doctrina Mag. de Castilla, noviter, sed doctissimè explicantis Resolutum, tom. 1. tract. 2. q. 3. n. 46. ad illa verba: *In quo consistat distinctio, clarè constabit attentè legenti Resolutum in 1. & c. ubi satis insinuat, quomodo se habeant unum, & plura: sed unum, asserit, consistere in positivo quo, & plura in negativo: ergo distinctio pro formali negationem dicit ex mente Doctoris.* Antequam resolutionem probem.

Boni-Spes. Lumbier. Zagaglia. Garcia. De Castilla.

2 Prænoto primò, distinctionem aliam esse positivam, aliam negativam, & mixtam aliam, (de his sermo erit sectione seq.) quæ quidem partitio magis data est ex parte extremorum, quàm ex parte ipsius distinctionis; distinctio namque, vel positiva, vel negativa, vel mixta, semper explicatur per negationem identitatis.

3 Prænoto secundò, distinctionem negativam, & mixtam tantùm esse distinctiones per analogiam ad distinctionem positivam, de qua, illis omissis, tanquam de verá, & propriá distinctione agitur in præsenti, & definitur: *Negatio identitatis unius cum alio.* Verùm hæc definitio solùm est descriptiva; distinctio enim in rigore definiri non potest, sicut de identitate, suo loco, dicam.

4 Prænoto tertiò, distinctionem sibi dare essentialiter esse distinctam à quocumque, à quo dat suo subjecto etiam accidentaliter distingui; & consequenter, si in negatione consistat, se ipsâ essentialiter distingui à quocunque subjectum distinguit Ut enim hîc advertit Mag. Bona-Spes, omnes formæ habent essentialiter quod aliis dant, etiam accidentaliter: sic unio seipsam suo subjecto unit, sicut suo subjecto dat sibi uniri; aliter daretur processus in infinitum. *Bona-Spes.*

5 Prænoto quartò (nota bene) non sufficere quòd unum à parte rei non sit aliud, ut distinguatur à parte rei ab illo; relatio enim rationis non est à parte rei ens rationis, & tamen nec à parte rei est distincta ab ente rationis: quia, cùm non detur à parte rei, nec à parte rei est eadem, nec distincta. Unde ut unum distinguatur ab alio, requiritur, quòd illud, quod distinguitur, detur, & supponat juxta genus distinctionis, scilicet, si distinctio est realis, detur realiter, si verò rationis, detur objectivè, & quòd unum non sit aliud. His prænotatis.

6 Probo resolutionem, & primò sic. Quotiescumque desinit aliquid præcisè ablatâ tali formalitate, id in eâ formaliter consistit: atqui præcisè ablatâ negatione identitatis, tollitur distinctio: ergo in negatione identitatis distinctio formaliter consistit. Maior est certa. Probo minorem. Si ex hac propositione, *homo non est leo*, præcisè tollatur negatio, tollitur distinctio: ergo. Probo antecedens. Si ex hac propositione præcisè tollatur negatio, manet identitas subjecti cum prædicato: ergo tollitur distinctio. Probo antecedens. Si ex hac propositione præcisè tollatur negatio, manet hoc modo propositio,

ſitio, *homo eſt leo*; ſed verbum *eſt* identificat ſubjectum, & prædicatum: ergo ſi ex hac propoſitione præciſè tollatur negatio, manet identitas ſubjecti cum prædicato. Nec dicas, multa explicari per negationem, quæ negationes non ſunt, ut irrationale, & ſimilia; ſiquidem hæc non ſunt, poſitâ præciſè negatione, nec tolluntur, illâ præciſè ablatâ.

7 Probo ſecundò reſolutionem ſic. Ens nequit intelligi diſtinctum ab alio, niſi per negationem identitatis cum alio: ergo. Probo antecedens. In tantùm poſſet intelligi diſtinctum, in quantum poſſet diſtingui per ſuam entitatem poſitivam; ſed per ſuam entitatem poſitivam non: ergo. Maior conceditur. Probo minorem. Diſtinctio pro formali conſiſtit in eo, quòd ex duobus entibus poſitivis unum non ſit aliud; ſed unum non eſſe aliud formaliſſimè eſt negatio: ergo.

8 Probo tertiò reſolutionem ſic. Pro priori ad negationem, etſi non detur identitas, nec non identitas datur: ergo non datur diſtinctio pro illo priori. Antecedens eſt certum. Probo conſequentiam. Diſtinctio repugnat cum identitate; ſed quod datur pro illo priori, nec repugnat cum identitate, nec cum non identitate: ergo non datur diſtinctio pro illo priori. Maior eſt certa. Probo minorem. Quod pugnat cum identitate, eſt non identitas; & quod pugnat cum non identitate, eſt identitas; ſed pro illo priori (juxta dicta) nec datur identitas, nec non identitas: ergo quod datur pro illo priori, nec repugnat cum identitate, nec cum non identitate; adeoque, cùm diſtinctio identitati opponatur, non datur pro illo priori, ſed ſolùm quando ponitur negatio, & ideo in negatione identitatis formaliter conſiſtit diſtinctio.

Pro-

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

9 NOstræ resolutioni opponuntur varii Doctores in duabus sententiis distributi, quarum prima distinctionem ponit in positivo tali; secunda verò in relativo. Pro prima pugnant Gabriel in 1.dist.2. Okam.in 2.q.2 .Bagatta in suo Cursu Philosoph. disp. 3. de Universalib. in communi, sect. 4.℣. *Supp. est autem.* Compton. in Log. disput. 19. sect.2. Pro secundâ stat Scotus in 2. dist. 3. q.1.quem citat, & sequitur Mastrius in Metaph. disp. 6. de Passionibus Entis q. 7. art. 1. n. 146. Pro Authoribus primæ sententiæ objicies primò. Licét tollatur distinctio, præcisè ablatâ negatione identitatis, non sequitur, distinctionem consistere formaliter in ipsâ negatione identitatis: ergo. Probas antecedens. Conditio, *sine qua non*, non est constitutivum rei, & tamen ablatâ præcisè conditione, *sine qua non*, tollitur res: ergo licèt tollatur distinctio, præcisè ablatâ negatione identitatis, non sequitur, distinctionem consistere formaliter in ipsa negatione identitatis. Probas antecedens. Applicatio est conditio, *sine qua non*, ad combustionem; sed deficiente præcisè applicatione, deficit combustio: ergo.

Gabriel. *Okam.* *Bagatta.* *Compton.* *Scotus.* *Mastrius.*

10 Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem, concessâ primâ parte antecedentis, nego secundam; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem. Nam licét deficiat combustio, quando deficit applicatio, ideo est, quia præter applicationem, deficit actio ignis, vel passio correspondens, quæ est formale constitutivum combustionis. Unde nulla conditio

est id, quo præcisè deficiente, deficit res, cæteris omnino permanentibus. Et hinc fit, negationem identitatis esse distinctionis constitutivum; cùm, istâ præcisè ablatâ, tollatur distinctio, adhuc permanentibus cæteris, ut liquet ex resolutionis fundamentis.

11 Objicies secundò. Potest res deficere, quin deficiat aliquod ejus constitutivum: ergo non sequitur, quòd distinctio consistat in negatione identitatis, licèt illa deficiat, deficiente istâ. Probas antecedens. Potest homo deficere, quin deficiat corpus, & anima; (deficiente tantùm unione) sed corpus, & anima sunt de constitutivo hominis: ergo. Respondeo ad objectionem, negando antecedens, ad cujus probationem, concessa maiore, & minore, nego consequentiam. Quia licèt possit homo deficere existente corpore, & anima, tamen non potest deficere, existente corpore, anima, & unione, quæ etiam intrinsecè constituit hominem. Igitur in tali casu semper deficeret aliquod hominis constitutivum, aliter non deficeret homo. Itaque aliud est, constitutiva posse existere, quin actu constituant, loquendo de constitutivis signatis, & in actu primo; aliud verò, constitutiva posse existere, quin actu constituant, loquendo de omnibus constitutivis, ita, ut etiam comprehendatur constitutivum modale exercitum, quod est constitutivum intrinsecum ut *quo*, & ipsum exercitium constituendi. Quare bene sequitur, negationem identitatis constituere distinctionem, semel quòd, illâ præcisè ablatâ, tollatur ista.

12 Objicies tertiò pro laudato Comptono. Potest dari distinctio, quin sit negatio: ergo distinctio non consistit in negatione. Probas antecedens. Ca-

Compton.

ſu, quo calor *A* ponatur in quantitate *A*, vel viſio in oculo, adhuc quantitas illa diſtingueretur ab illo calore, & oculus a viſione; atqui in tali caſu nec quantitas *A* diceret negationem caloris *A*, nec oculus diceret negationem viſionis: ergo poteſt dari diſtinctio, quin ſit negatio. Maior eſt certa. Probas minorem. Si quantitas *A* (et idem dicendum de oculo reſpectu viſionis) diceret negationem caloris *A*, ſimul exiſterent duo contradictoria; hoc non: ergo. Probas ſequelam. In primis verum eſſet dicere, *quantitas A* habet calorem *A*; deinde verum eſſet dicere, quantitas *A* non habet calorem *A*; ſed hæc ſunt contradictoria: ergo. Maior, quo ad primam partem ſupponitur. Probas quo ad ſecundam. Dicere negationem caloris *A* eſt non habere calorem *A*: ergo ſi quantitas *A* diſtingueretur à calore *A* per negationem caloris *A*, non haberet calorem *A*: ergo haberet, & non haberet calorem *A*, ſicque ſimul exiſterent duo contradictoria.

13 Reſpondeo ad objectionem, negando antecedens; ad cujus probationem, conceſſa maiore, diſtingo minorem: in tali caſu nec quantitas *A* diceret negationem caloris *A*, & c. negationem identitatis cum calore *A*, nego minorem: aliam negationem, quidquid ſit. Ad probationem minoris diſtingo maiorem: ſi quantitas *A*, diceret negationem identitatis cum calore *A*, ſimul exiſterent duo contradictoria, nego maiorem: aliam quamcumque negationem, quidquid ſit. Ad probationem ſequelæ, conceſſa maiore quo ad primam partem, illam nego quo ad ſecundam; ad cujus probationem diſtingo antecedens modo explicato, eodem modo conſequens, & nego ultimam conſequentiam. Igitur in

in tali casu verum erat, quòd in quantitate *A* esset calor *A*; falsum tamen, quòd daretur negatio caloris *A* in quantitate *A*. Negatio ergo, quæ tantùm daretur, solùm esset negatio identitatis quantitatis *A* cum calore *A*; cùm distinctio solùm in hac negatione consistat; non enim aliter est homo à leone distinctus, nisi per negationem identitatis cum illo.

Compton. 14 Instabis pro eodem Comptono. Si unum distingueretur ab alio per negationem identitatis cum illo, homo distingueretur à leone per negationem chimæræ, sed hoc non; cúm homo per negationem chimæræ solùm distet à chimæra, & non à leone: ergo. Probas sequelam maioris. Identitas hominis cum leone est chimæra: ergo si homo distingueretur à leone per negationem identitatis cum illo, distingueretur per negationem chimæræ.

15 Respondeo ad instantiam, distinguendo maiorem: Si unum distingueretur ab alio per negationem identitatis cum illo, identitatis scilicet, quæ datur inter unum, & alterum, homo distingueretur à leone per negationem chimæræ, concedo maiorem: si unum distingueretur ab alio per negationem identitatis, quæ daretur inter unum, & alterum, si ibi non esset negatio, homo distingueretur à leone per negationem chimæræ, nego maiorem. Hinc fit, negare identitatem inter hominem, & leonem non esse negare identitatem chimæricam; nam ibi non nego nisi illam identitatem similem illi, quæ datur inter ensem, & gladium, quasi dicam, inter hominem, & leonem non dari identitatem illam, quæ inter ensem, & gladium invenitur; cúm autem identitas inter ensem, & gladium non sit chimærica, inde negatio identitatis inter hominem, & leo-

nem non est negatio identitatis chimæricæ.

16 Replicabis. Identitas inter hominem, & leonem similis illi, quæ est inter ensem, & gladium, est impossibilis, & chimærica; sed juxta concessa, negatur identitas inter hominem, & leonem similis illi, quæ est inter ensem, & gladium: ergo negatur identitas chimærica. Respondeo ad replic. concessa maiore, distinguendo minorem: negatur identitas, quæ daretur, si ibi non esset negatio identitatis, concedo minorem: negatur identitas, quæ ibi datur, nego minorem. Quare, identitas chimærica independentèr à negatione est chimærica (nota hoc) & adhuc hâc ablatâ est impossibilis, & chimærica; at verò identitas, de qua loquitur, ideo præcisè non est, quia præcisé datur negatio ipsius identitatis: ergo non datá negatione ipsius identitatis, jam ipsa identitas chimærica non esset, adeoque negatio talis identitatis non est negatio identitatis chimæricæ.

17 Objicies quartò pro eodem Comptono. Homo non solúm distinguitur à leone, á lapide, & cæteris entitatibus positivis, sed etiam à negationibus ipsarum; atqui ab ipsis negationibus non potest homo distingui per negationem: ergo saltem á negationibus non distinguitur homo per negationem. Maior est certa; siquidem formæ positivæ non sunt negationes. Probas minorem. Si homo distingueretur ab ipsis negationibus per negationem, distinguetur ab ista negatione per aliam, & sic in infinitum; sed hoc admitti non debet: ergo neque id, ex quo sequitur. *Compton.*

18 Respondeo primò ad objectionem, nihil probare contra nostram resolutionem, quæ tantúm procedit de distinctionis constitutivo inter duas formas

mas, seu entitates positivas. Ut enim jam supra prænotavi, distinctio negativa, & mixta non sunt distinctiones, nisi per analogiam ad distinctionem positivam. Quare non potest unum propriè distingui ab aliquo, quin ipsum aliquid, etiam propriè, distinguatur ab illo; negatio ergo propria inter unum, & alterum consequitur necessariò formas positivas, quæ non reperiuntur inter unicum tantùm ens positivum, & negationem.

19 Respondeo secundó ad objectionem, concessa maiore, negando minorem; ad cujus probationem nego maiorem. Homo namque licèt distinguatur non solùm à leone, à lapide, sed etiam à negationibus, non tamen distingueretur à negationibus per aliam negationem, sed per easdemmet negationes, à quibus distinguitur. Unde à leone distinguitur homo per negationem, & à negatione distinguitur per eamdemmet negationem, quæ quidem negatio sicut per se ipsam distinguit hominem à leone, & per se ipsam distinguitur ab ipso homine; ita facit hominem distinctum à se ipsâ per se ipsam.

20 Hoc liquet exemplo unionis; nam unio non solùm unit unum extremum alteri, sed per se ipsam se unit extremis, & facit, quòd extrema per se ipsam uniantur sibi ipsi, ne detur processus in infinitum in modis. Unde quemadmodum unio, utpotè causa formalis uniti, se ipsa extremis unitur, & extrema se ipsis illi uniuntur; sic similiter dici potest respectu negationis, (est enim dicta causa formalis distincti) illa extrema à negatione per ipsam negationem distingui. Arbitror tamen Comptonum, hoc argumento, absurdum inferre contra se ipsum; cúm, in Physica disp. 46. sect. 4. n. 5. defendat, dari

Compton.

de

de facto infinitum in negationibus, tam quoad multitudinem, quàm magnitudinem, & aliquo modo quoad intensionem.

21 Objicies quintò. Antequam in homine intelligatur negatio leonis, jam homo est distinctus à leone; atqui non per negationem: ergo distinctio non consistit formaliter in negatione. Probas maiorem. Antequam in homine intelligatur negatio leonis, jam intelliguntur homo, & leo, utpotè fundamenta istius negationis; sed non intelliguntur utpotè fundamenta istius negationis, nisi sint distincti: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Semel quòd homo, & leo intelligantur pro illo priori, tanquam fundamenta negationis, verum erit dicere pro illo priori, *homo est non leo*, & è contra, *leo est non homo*; sed hoc stare nequit, quin homo, & leo intelligantur distincti: ergo.

22 Respondeo ad objectionem, negando maiorem; ad cujus probationem, concessa maiore, nego minorem Aliud namque est, hominem esse non leonem. & aliud, hominem non esse leonem. Primum dicit tantùm id, quod homo est, præscindendo ab eo, quod homo formaliter non est, secundum verò non dicit id, quod homo est, sed id, quod homo formaliter non est: unde licèt sit vera ista propositio, pro illo priori, *homo est non leo*, non sequitur quód sit vera ista, *homo non est leo.*

23 Instabis. Ista propositio, *homo est non leo* est propositio affirmativa de prædicato infinito; ista verò, *homo non est leo* est propositio negativa de prædicato finito; sed, apud Logicos, ex propositione affirmativa de prædicato infinito valet consequentia ad

ad negativam de prædicato finito: ergo si pro illo priori est vera hæc, *homo est non leo*, ita etiam vera erit ista, *homo non est leo.* Respondeo ad instant. concessa maiore, & minore, distinguendo consequens: ita etiam vera erit ista, *homo non est leo*, si talis propositio faciat hunc sensum, *homo fundamentaliter*, & *expositivè non est leo*, concedo consequentiam: si faciat alium sensum, nempe, *homo formaliter non est leo*, nego consequentiam. Igitur ex valore illarum propositionum, solùm sequitur, quòd secunda faciat sensum primæ; cùm autem prima in illo priori non ponat formalem negationem identitatis hominis cum leone, sed solùm fundamentalem, id ipsum ponit secunda; & in hoc sensu erit vera.

24 Replicabis. Pro illo priori verum est dicere, *homo est formaliter homo*: ergo etiam, *homo non est formaliter leo.* Antecedens est certum. Probas consequentiam. Hominem esse hominem est formaliter idem, ac hominem non esse non hominem; sed hominem non esse non hominem idem est, ac hominem non esse leonem: ergo si pro illo priori est verum dicere, *homo est formaliter homo*, ita verum erit dicere, *homo non est formaliter leo.* Probas maiorem. Duplex negatio non lædit propositionem, ac proinde reddit illam in suo statu: ergo. Probas minorem. Non homo includitur in leone, sicut in cæteris, quæ homo non sunt: ergo hominem non esse non hominem, idem est, ac hominem non esse leonem.

25 Respondeo ad replicam, concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem nego maiorem, ad cujus probationem distingo antecedens:

tecedens: duplex negatio non lædit propositionem, si sit duplex negatio negans, concedo antecedens: si una sit negans, & altera infinitans, nego antecedens. Unde quanvis in illa propositione ponatur duplex negatio, secunda non negat; cùm non sit præfixa copulæ, sed solùm infinitat, adeoque positâ primâ negatione, non manet propositio affirmativa, sed negativa, ex quo patet, non esse idem, hominem esse hominem, ac hominem non esse non hominem; quia non est idem, rem non esse aliam, ac rem esse id, quod est; nam casu, quo omnia essent idem, non esset verum dicere, rem non esse aliam, bene quidem, rem esse id, quod est.

26 Objicies sextò fundamento principali partis adversæ ponentis distinctionem in positivo. Constitutivum alicujus rei est ipsius rei distinctivum; sed constitutivum rei est quid positivum, & non negatio: ergo distinctio non consistit in negatione, sed est aliquid positivum. Respondeo ad objectionem disting. maiorem. Constitutivum rei formaliter est distinctivum rei fundamentaliter, concedo maiorem: constitutivum rei formaliter est distinctivum rei formaliter, nego maiorem. Deinde concessa minore, nego consequentiam. Fateor, constitutivum rei recurrere cum distinctivo, sed non recurrit cum distinctivo formali rei, bene quidem cum distinctivo fundamentali. Est dicere, constitutivum rei fundare in se negationem identitatis; non esse verò ipsam formalem negationem.

27 Ratio hujus est in eo, quòd si per impossibile tolleretur negatio identitatis inter hominem, & leonem, adhuc homo, & leo manerent formaliter constituti; siquidem in tali casu adhuc essent entia

purè

purè positiva; & tamen non essent distincti formaliter: ergo constitutivum rei formale non recurrit cum distinctivo formali ipsius rei. Hinc observa, differentiam aliam esse constitutivam, & distinctivam aliam; sicut enim eadem ut convenientia in ratione aliqua communi sunt entia in se constituta, & non distincta, ita in illis reperitur differentia constitutiva, & non distinctiva.

28 Instabis. De ratione differentiæ ut differentiæ est facere rem diversam ab alia formalitèr: ergo ubicumque invenitur differentia, invenitur distinctivum rei formale. Respondeo ad inst. negando antecedens, vel si mavis, distinguendo: de ratione differentiæ ut differentiæ distinctivæ, concedo antecedens: ut differentiæ constitutivæ, nego antecedens. Igitur differentia constitutiva nihil aliud est, quàm constitutivum rei; sicut differentia distinctiva idem est ac ipsius rei distinctivum: ergo sicut alius est conceptus constitutivus, & alius distinctivus (ut patet in casu, quo per impossibile tolleretur negatio identitatis inter hominem, & leonem) ita alia est differentia constitutiva, & alia distinctiva.

29 Replicabis. Debet assignari conceptus proprius differentiæ ut sic; sed hic consistit in eo, quòd fiat rem differre formaliter: ergo inassignabilis est differentia, quæ non faciat rem formaliter differre. Respondeo ad replicam concessa maiore, & negando minorem. Nam de ratione differentiæ ut sic est facere rem diversam, & solùm de ratione differentiæ formalis est facere rem formaliter differre; sicut de ratione differentiæ fundamentalis, tantùm est rem facere fundamentaliter differre.

30 Objicies septimò. Distinctio, quæ datur inter

ter substantiam, & accidens non potest consistere in negativo: ergo. Probas antecedens Substantia distinguitur ab accidente per independentiam à subjecto inhæsionis; sed talis independentia non est quid negativum; cùm sit perseitas, quæ consistit in positivo: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem distingo maiorem: substantia distinguitur ab accidente per independentiam à subjecto inhæsionis, positivè, concedo maiorem: formaliter negativè, nego maiorem. Igitur formaliter solùm distinguitur substantia ab accidente per negationem identitatis cum illo.

31 Objicies octavò. Distinctiones, quæ reperiuntur in Deo, non possunt dicere negationem pro formali: ergo neque distinctio ut sic: quia conceptus istius debet participari ab omni, & quacunque distinctione. Probas antecedens. Negatio dicit ex se imperfectionem; ergo. Probas antecedens. Negatio dicit unum carere esse alterius; sed hoc est imperfectio: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem distingo antecedens: negatio esse dicit imperfectionem, concedo antecedens · negatio identitatis unius cum altero, nego antecedens; ad cujus probationem distingo antecedens: negatio dicit unum carere esse alterius, si sit negatio realis identitatis physicæ, transeat antecedens: si sit alia negatio, nego antecedens.

32 Negatio ut abstrahit ab hac, vel illa negatione, dicit tantùm unum non habere identitatem cum alio, vel realiter, vel formaliter, vel virtualiter; & sic non negat esse alterius, nisi sit negatio realis identitatis physicæ. Dixi sup. *transeat antecedens:*

cedens; quia in Divinis falsum est. Cùm ergo negatio identitatis, quæ in Deo reperitur, non dicat carentiam esse Divini, eo quòd omnia in Divinis habeant identitatem physicam cum natura, planum fit, distinctiones, quæ in Deo reperiuntur, excludere omnem, & quamcumque imperfectionem.

33 Objicies nonò pro AA. secundæ sententiæ. Omnis distinctio consistit in relatione, & respectu unius ad aliud; ergo nulla distinctio potest consistere in negativo. Probas antecedens. Non possunt duo intelligi distincta, nisi per talem relationem, & respectum: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens, ad cujus probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Licèt enim ex defectu intellectûs nostri, pro hoc statu, non aliter possimus concipere distinctionem, nisi per talem respectum, non sequitur, ipsum respectum constituere formaliter distinctionem; sicut non sequitur cæcitatem esse formam positivam, etsi à nobis per modum formæ positivæ concipiatur. Ex hucusque dictis.

34 Deduces primò, distinctionem dicere necessariò multitudinem in rei veritate, quia quoquo pacto definiatur, seu explicetur, semper dicit duo, vel plura, quorum unum non est aliud: cùm ergo multitudo dicat pro formali negationem, inde distinctio in ipsamet negatione consistit. Nec obstat, quòd identitas explicetur per affirmationem unius cum alio; siquidem identitas solùm explicativè dicit multitudinem; implicat enim quòd identificentur, quæ in rei veritate sunt multa. Ea propter Bacconius, loco sup. sed ℣. suo *Ad propositum contra alios*, inquit: *unum dicit privationem solùm*

Baccon.

lium secundùm nominis famositatem, & multitudo secundùm rei veritatem.

35 Deduces secundò aliquas authoritates Doctoris Resoluti, quæ videntur ponere distinctionem in positivo, solùm probare, quòd aliquid positivum præsupponatur ad negationem; quia, ut duo distinguantur realiter, opus est ut inter illa præcedat aliquid, & aliquid, in quo fundetur negatio identitatis unius cum alio. Hac de causa dixi sup. n. 5. non sufficere, quòd unum non sit aliud à parte rei, ut distinguatur ab illo; sed quòd illud, quod distinguitur, detur, & supponat, juxta distinctionis genus. Loquor de distinctione, quæ datur inter formas positivas. Negationes enim negationibus distingui, quin præsupponatur aliquod positivum, certum est; cùm ante mundum conditum distingueretur jam negatio Solis à negatione Lunæ per ipsammet negationem.



SECTIO II.

De Quotuplicitate Distinctionis.

QUÆSTIO UNICA.

Quotuplex sit Distinctio.

36 RESolutio: Duæ tantùm sunt distinctionis species (loquendo de distinctione in genere) altera ex natura rei, rationis altera. Cùm enim distinctiones sequantur ordines entis, ideo sicut ens in genere dividitur in ens, quod

datur ex rei natura, & in ens, quod tantùm existit ratione, ita similiter distinctio; adeoque sicut implicat ens, quod non sit vel ex natura rei, vel rationis, ita inassignabilis est distinctio, quæ ad distinctionem ex natura rei, vel rationis non reducatur. Igitur distinctio ex natura rei illa est, quæ datur à parte rei nullà interveniente operatione intellectûs. Distinctio rationis est illa, quæ tantùm ratione fabricatur.

37 Distinctio ex natura rei vel est actu, vel virtute. Distinctio ex natura rei actu illa est, quæ invenitur inter extrema, quæ per propriam distinctionis formam discriminantur. Distinctio ex natura rei virtute est illa, quæ distinctioni reali æquipollet. Hæc distinctio virtualis alia dicitur maxima, minima alia, de quibus infra suo loco agendum.

38 Distinctio ex natura rei actu, quæ est primum membrum distinctionis ex natura rei, vel est actu realiter, vel actu formaliter. Distinctio ex natura rei actu realiter est, quæ datur inter ea, quæ re discordant. Hæc vel est omnino re, vel gradualis; vel non omnino re, sive modalis. Distinctio omnino re est illa, quæ datur inter duas res. Distinctio gradualis est, quæ datur inter gradus diversos ejusdem rei. Distinctio non omnino re est, quæ datur inter rem, & modum. Verum ista vel est intrinseca, vel extrinseca. Intrinseca solùm habet locum inter rem, & modum intrinsecum ipsius rei. Extrinseca est quæ reperitur inter rem, & modum extrinsecum ipsius rei. Distinctio autem ex natura rei actu formaliter est quæ datur inter formalitates ejusdem rei, in quo convenit Bacconius cum

Scoto,

Scoto, etsi in illius explicatione non parùm distent; qua de causâ resolvo aliam esse distinctionem formalem Scoticam, aliam formalem Bacconicam, de quibus etiam suo loco.

39 Distinctio tandem rationis, quæ est altera species distinctionis in genere, vel est ratiocinantis, vel ratiocinatæ, vel negantis, & abstrahentis. Distinctio rationis ratiocinantis illa est, quæ ab intellectu fingitur sine fundamento in re. Distinctio rationis ratiocinatæ est illa, quæ ab intellectu, seu à ratione fit cum fundamento in re. Hæc distinctio rationis ratiocinatæ, vel datur inter ea, quæ cogitatione perfectè separantur, vel non perfectè. Prioris generis sunt ea, quæ ita ratione dividuntur, ut quando unum cogitationi objicitur, aliud nec implicitè obversetur. Posterioris generis sunt ea, quæ licét intellectu, seu ratione discordent, quando tamen unum cogitationi objicitur, aliud saltem implicité venit.

40 Distinctio rationis negantis, quæ est alterum membrum distinctionis rationis, tunc datur quando de altero alterum inficiatùr. Distinctio verò rationis abstrahentis tunc reperitur, quando alterum sine altero consideratur, & sic ab illo abstrahitur. Hæ sunt præcipuæ distinctionis divisiones, quarum, quia inter cæteras primas occupant sedes, per sequentes hujus tractatûs disputationes amplissimam explicationem dabo. Ut tamen, quæ dicta sunt, non tantùm mente, verùm & oculis, percipias, inspice sequentem tabellam

- Diſtinctio
  - *Ex natura rei*
    - *Actu*
      - *Realis*
        - *Omnino re*
        - *Gradualis*
        - *non omnino re, ſive modalis*
          - *Intrinſeca*
          - *Extrinſeca*
      - *Formalis*
        - *Scotica*
        - *Bacconicâ*
    - *Virtute*
      - *Maxima*
      - *Minima*
  - *Rationis*
    - *Ratiocinantis, & Ratiocinatæ*
      - *Perfecta*
      - *Imperfecta*
    - *Negantis, & Abſtrahentis*

41 Ali

41 Aliæ distinctionis divisiones assignari solent, quas, quia non diversam postulant disputationem, hoc loco, brevitate, & claritate, qua possum, jam propono. Igitur distinctio alia dicitur positiva, alia negativa, & mixta alia. Distinctio positiva est illa, quæ reperitur inter duas entitates positivas, ut v. g. inter Petrum, & Paulum, lapidem, & lignum. Distinctio negativa est, quæ datur inter terminos negativos, ut v. g. inter carentiam Petri, & carentiam Pauli, vel inter carentiam lapidis, & carentiam ligni. Distinctio, quæ hîc vocatur mixta, habet locum inter unum positivum, & aliud negativum, ut v. g. inter Petrum, & carentiam Pauli, vel inter lapidem, & carentiam ligni.

42 Circa distinctionem positivam nota attentè id, quod ex Ferrariens. docet Mag. Cornejo, tom. 1. Theolog. tractat. 3. circa q. 27. disp. 3. dub. 5. n. 59. scilicet, ut detur distinctio positiva inter duo, non sufficere, quòd in uno ponatur aliquid positivum, quod non reperiatur in alio. Nam ut sic etiam distinguuntur ens, & non ens, & talis distinctio potiùs est mixta, quàm positiva, quòd enim Petrus sit albus & non Paulus, non arguit positivam distinctionem. Nam sicut Petrus non est albus, ita chimæra non est alba; & tamen inter Petrum album, & chimæram non albam, non datur distinctio positiva, sed mixta. Igitur ut distinctio verè dicatur positiva, oportet, quòd in utroque extremo reperiatur aliquid positivum alteri repugnans, & oppositum; ut albedo, & nigredo in Petro, & Paulo; rationale, & rugibile in homine, & leone. *Ferrariens.* *Cornejo.*

43 Hæc distinctio positiva subdividitur in purè entitativam, purè modalem, & mixtam. Distin-

 ctio

ctio purè entitativa est, quæ datur inter duas positivas entitates, seu res, & ideo solet etiam nuncupari distinctio rei à re, & hæc est propria, & rigorosa distinctio, quæ reperitur v. g. inter Petrum, & Joannem. Distinctio purè modalis illa est, quæ datur inter duos modos; v. g. inter sessionem Petri, & sessionem Pauli. Distinctio mixta est, quæ versatur inter entitatem, & modum; v. g. inter Petrum, & ipsius sessionem.

44 Quod autem ex Ægidio docet Gavardi in Log. q. 3. de Univers. art. 6. n. 9. Distinctionem, scilicet, modalem reperiri inter eandem rem ut modificatam, & non modificatam, non verò inter rem, & modum ipsius rei, id facile impugnatur. Nam vel A. loquitur de distinctione modali puré, quæ etiam dicitur *modalis modalis*, vel de distinctione reali modali, quæ vocatur mixta? Si de prima, contra; quia distinctio *modalis modalis* ideò talis dicitur, quia versatur inter modum, & modum; sicut distinctio rei à re dicitur talis, quia datur inter rem, & rem.

Ægid. Gavard.

45 Si de secunda, contra etiam; quia distinctio *realis modalis* talis est, quia versatur inter rem, & modum; sicut distinctio modalis modalis talis dicitur, quia datur inter duos modos; & distinctio rei à re, quia datur inter duas res; certum igitur est distinctionum nomina solùm ab extremis provenire: ergo si distinctio, de qua loquitur Author, est realis modalis, in tantum sic nominatur, in quantum unum extremum est res, & aliud modus; adeoque talis distinctio non datur inter ipsam rem tantùm, sed inter rem, & modum.

46 Nec valet dicere, ceram sigillatam nullo in-

intellectu cogitante, differre à cerâ non sigillatâ, ipsam autem sigillationem non esse aliquid, præter ceram taliter se habentem; eoquia modus à realitate non distinguatur, nisi per intellectum. Ad hæc namque respondeo, ceram sigillatam differre solùm accidentaliter à cera non sigillata, & hoc nihil aliud importat, quàm sigillationem ipsam differre à cera non sigillatâ. Nec obest, quòd modus sit essentialiter affixus suæ realitati, ut non distinguatur á realitate; cúm enim realitas existere possit sine modo, & modus possit deperdi, & destrui, quin deperdatur, seu destruatur realitas, imò incipere esse, quin incipiat realitas, non obstante affixione modi cum realitate, optimè distinguitur modus ab ipsa realitate; cùm hæc omnia sint signa distinctionis non tantúm modalis præcisè, sed etiam realis propriè, ut dicam disp. seq. sectione 1.

47 Hinc observa, quòd quanvis modus nequeat esse sine realitate, cujus est modus, potest tamen realitas esse sine modo; ego namque esse possum sine sessione, quanvis sessio nequeat esse sine me sedente. Ex quo patet modum non habere identitatem cum sua realitate, sed tantúm intimam conjunctionem, seu unionem: aliter destrueretur realitas, destructo modo: ergo sicut materia distinguitur á forma, licèt sit unita formæ; quia potest separari à forma; ita modus distinguitur à sua realitate, quia potest destrui, non destructa realitate, etsi habeat intimam conjunctionem cum ipsa realitate; distinctio enim non unioni, sed tantùm identitati opponitur. Hæc dixi, ut videas frustraneam, nullamque esse novam explicationem distinctionis modalis, qua jactuosum video supr. citatum Gavardi. *Gavard.*

48 Alia quoque est distinctionis divisio in numericam, genericam, & specificam. Numerica datur inter ea, quæ habent eamdem naturam athomam, id est, inter extrema ejusdem speciei, v.g. inter Petrum, & Joannem. Generica reperitur inter ea, quæ spectant ad diversum genus, v.g. inter hominem, & lapidem. Specifica invenitur inter ea, quæ habent diversam naturam speciei, licèt genericè conveniant, v. g. inter hominem, & equum. Dividitur tandem distinctio in distinctionem adæquatam, & inadæquatam. Distinctio adæquata est illa, quæ reperitur inter ea, quæ omnino se excludunt, & ideo dicitur etiam excludentis ab excluso, & datur inter Petrum, v. g. & lapidem. Distinctio inadæquata est illa, quæ reperitur inter ea, quorum unum vel est pars alterius, vel in illo includitur, & ideo vocari etiam solet distinctio includentis ab incluso, & datur inter totum, & partes ipsius.



DIS:



DISPUTATIO II.

DE DISTINCTIONE REALI, Graduali, & Modali.

SECTIO I.

De Distinctione Reali.

QUÆSTIO I.

Utrùm oppositio producentis, & producti, causantis, & causati arguant Distinctionem Realem?

49 ESOLUTIO est affirmativa, & deducta ex Doctore multis in locis, quem sequitur Mag. Zagag. tom. 2. tract. 1. disp. 7. lect. 1. n. 2. ℣. *Distinctio realis*. Et Mag. Garcia in Phys. dist. 1. q. 8. art. 5. §. 6. Hæc est mens D. Th. 1. p. q. 41. art. 6. Idem docent Mag. Formalit. & Mairon, quos citat, & sequitur Mastrius in Metaphys. disp. 6. q. 8. n. 183. Hanc sententiam defendit Poncius disp. 4. Metaph. q. 1. n. 2. Antequam tamen resolutionem probem, prænoto, oppositionem producentis, & producti non inferre distinctionem

Baccon. Zagaglia. Garcia. D. Thom. Ant. Sirect. Mairon. Mastrius. Poncius.

nem

nem realem in Divinis præcisè ex vi oppositionis, sed etiam ex eo, quòd sit certum de fide Personas Divinas realiter distingui, darique inter ipsas rationem producentis, & producti. Unde, cùm etiam in Divinis non reperiatur ratio producentis, & producti, nisi inter ea, quæ realiter distinguuntur, dicimus tunc rationem ipsam producentis, & producti signum esse infallibile distinctionis realis. Hoc prænotato.

50 Probo resolutionem, quo ad primam partem sic. Non assignabitur ratio producentis, & producti, nisi in rebus realiter distinctis: ergo oppositio producentis, & producti est signum distinctionis realis. Consequentia rectè deducitur. Antecedens constabit ex objectionum solutione. Probo resolutionem, quoad secundam partem sic. Causans, & causatum non solùm repugnant in eâdem Personâ, sed etiam in eâdem naturâ, ut liquet in Deo; ergo ubicumque fuerit ratio causantis, & causati, ibi erit realis distinctio.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

Archillin. *Suares.* *Amicus.*

51 NOstræ resolutioni opponuntur Archillin. tract. de Distinctionibus, cap. 27. Suares disp. 7. Metaph. sectione 2. n. 19. Amicus tract. formal. q. 12. dubio 2. art. 2. asserentes hoc signum non esse universaliter verum. Pro his ergo objicies primò. Non omne producens arguit distinctionem realem à producto: ergo. Probas antecedens. Si omne producens argueret distinctionem realem à producto, Christus Dominus in Eucharistia argueret distinctionem realem à seipso; sed hoc

hoc non: ergo neque id, ex quo sequitur. Probas sequelam maioris. In probabili opinione Theologorum Christus Dominus seipsum producit in Eucharistia: ergo si omne producens argueret distinctionem realem à producto, Christus Dominus in Eucharistia argueret distinctionem realem à se ipso.

52 Respondeo ad objectionem, negando antecedens; ad cujus probationem nego sequelam maioris; ad cujus probationem dico, entitatem corporis, & sanguinis non reproduci absolutè, sed eorum dumtaxat præsentiam, sub speciebus panis & vini. Deinde, sit, vel non sit illa opinio probabilis, pro contraria stat Augustin. his verbis *Qui autem putat ejus potentiæ esse Deum, ut se ipsum ipse genuerit, eo plus errat, quód non solùm Deus ita non est, sed nec spiritualis, nec corporalis creatura: nulla enim omnino res est, quæ seipsam gignat, ut sit.* Quæ quidem verba non tantùm sunt intelligenda de primâ productione, ut volunt aliqui, sed etiam de secundâ; aliter nullum esset argumentum, quo contra Sabellium utuntur Patres ad probandam distinctionem personalem in Mysterio altissimo Trinitatis, ut notat Mastrius loco supr. ℣. *Nihilominus.* *D. Augustinus* *Mastrius.*

53 Instabis. Secuncta actio productiva non opponitur cum primâ: ergo licèt Christus Dominus non possit seipsum producere quoad entitatem corporis, & sanguinis, per primam actionem productivam: poterit tamen per secundam. Respondeo ad instantiam negando antecedens; implicat enim, quòd aliquid secundò producatur, quin destruatur prius; nam sicut qui transit primùm ad locum *B* non potest secundò transire ad ipsum locum, quin prius

ab

ab illo recedat, ita effectus semel extractus de non esse ad esse, per primam actionem, non potest iterum transire ad esse, quin prius destruatur.

54 Objicies secundò. Producens accidentale est producens; atqui non omne producens accidentale arguit distinctionem realem à producto: ergo universaliter non est verum, quòd oppositio producentis, & producti arguant realem distinctionem. Maior est certa. Probas minorem. Quando producens accidentale terminatur ad modum ipsius producentis, non arguit distinctionem realem à producto: ergo non omne producens accidentale arguit distinctionem realem à producto. Probas antecedens. Quando producens accidentale terminatur ad aliquid, quod unitur, & conjungitur producenti, non arguit distinctionem realem à producto; atqui quando producens accidentale terminatur ad modum ipsius producentis, terminatur ad aliquid, quod unitur, & conjungitur producenti: ergo quando producens accidentale terminatur ad modum ipsius producentis, non arguit distinctionem realem á producto.

55 Probas maiorem. Semel, quòd ego me movens producam præsentiam localem, quæ quidem mihi moventi unitur, & conjungitur, non arguo distinctionem mei producentis, seu efficientis à præsentiâ ipsâ locali productâ: ergo quando producens accidentale terminatur ad aliquid, quod unitur, & conjungitur producenti, non arguit distinctionem realem à producto. Probas illam minorem. Modus est essentialiter unitus, & affixus suæ realitati, proindeque nequit separari ab illâ: ergo quando producens accidentale terminatur ad modum ipsius

ſius producentis terminatur ad aliquid, quod unitur, & conjungitur producenti.

56 Reſpondeo ad objectionem, conceſſa maiore, negando minorem; ad cujus probationem nego antecedens; ad cujus probationem, nego maiorem; ad cujus probationem nego antecedens. Unde in productione, etiam accidentali, hoc ſignum erit infallibile ad realem diſtinctionem inferendam inter producens, & productum, dummodo productio ſit realis, & phyſica; ſi enim ibi datur verus influxus phyſicus, certò aliquod eſſe ponitur in actu per talem influxum, nempe terminus illius, qui eſſe nequit, niſi aliquod eſſe diſtinctum realiter ab eo, à quo eſt influxus; influens enim, vel communicans eſſe, ſit ſubſtantiale, vel accidentale, ſupponitur habere proprium eſſe, antequam communicet. Hinc fateor motum abſolutê diſtingui realiter à potentiâ motivâ, ſicut quilibet modus extrinſecus à re, reſpectu cujus dicitur modus.

57 Objicies tertiò. Eſſentia rei eſt principium propriæ paſſionis; originantur namque paſſiones á ſubjecto; ſed paſſiones non arguunt diſtinctionem realem à ſubjecto: ergo. Reſpondeo ad objectionem diſting. mai. Eſſentia rei eſt principium propriæ paſſionis, metaphyſicum, concedo maiorem: principium reale phyſicum, nego maiorem. Verum ergo eſt paſſiones originari ab eſſentiâ, tamen hæc originatio ſolùm eſt originatio, ſeu emanatio metaphyſica; non verò originatio vera realis, ſeu emanatio phyſica, de qua procedit reſolutio.

58 Objicies quartò. Totum eſſentiale cauſatur à partibus unitis; atqui totum eſſentiale non arguit diſtinctionem realem à partibus unitis: ergo non omne

omne caufans, & caufatum arguunt realem diftin-ctionem. Refpondeo ad objectionem diſting. maiorem: totum effentiale caufatur à partibus unitis, caufalitate intrinfecâ, concedo maiorem: caufalitate extrinfecâ, nego maiorem. Deinde conceffâ minore, nego confequentiam in fenfu diftinctionis. Quare partes unitæ folùm habent rationem caufæ intrinfecæ refpectu totius; proindeque, cùm non detur vera emanatio phyfica partium erga totum, nihil mirum, quôd non diftinguantur realiter à toto. Ex dictis

59 Deduces primò, hoc fignum producentis, & producti, caufantis, & caufati, licèt fit verum, & infallibile ad realem diftinctionem inferendam, non effe adæquatum, nec convertibile cum diftinctione reali. Eft contra Fonc. & Guarinum in Log. difp. 3. exp. 3. l. *E* ℣. *Ultima regula.* Ratio mihi eft; quia Petrus, & leo realiter diftinguuntur, & tamen non habent oppofitionem relativam producentis, & producti, vel caufæ, & effectûs; & fic de aliis multis, & infinitis paffim obviis. Deduces fecundò, (nota benè) oppofitionem producendi, & non producendi non arguere in Divinis realem diftinctionem; cùm Pater producat, & Deitas non producat, abfque diftinctione reali inter Paternitatem, & Deitatem. Ex quo fit difficile argumentum contra refolutionem fic. Non minus opponuntur producere, & non producere, quàm producere, & produci: ergo fi prima oppofitio non arguit, faltem in Divinis, realem diftinctionem, neque fecunda. Nota tamen, quòd fupr. prænotavi n. 49. & vide quæ infra dico difp. 4. fect. 1. q. 4. n. 450.

Fonc. Guarin.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Utrùm ea, quæ sunt in pluribus rebus, seu subjectis realiter distinctis, sint etiam signum Distinctionis Realis?

60 RESolutio est affirmativa, & deducta ex Doctore in 2. dist. 3. q. 2. art. 1. §. 3. ℣. *Et quando.* Hanc resolutionem insinuant Mag. Aymus in Metaphys. part. 3. dist. 8. q. 2. art. 2. Et Mag. Garcia in 1. parte Physicæ; dist. 2. q. 3. art. 4. §. 4. p. 2. Eam tenet Sirect. quem citat, & sequitur Mastrius in Metaphys. d. 6. de Passionibus Entis; q. 8. n. 184. Idem docet Poncius disp. 4. Metaphys. quæst. 1. ℣. *Probatur denique.* Sed ante resolutionis probationem prænoto illam esse intelligendam cum aliqua limitatione. Unde sensus est, quòd distinctio realis arguatur inter ea, quæ sunt in pluribus rebus, seu subjectis realiter distinctis, loquendo naturaliter; item loquendo de illis diversis subjectis, quæ unum per se non constituunt. Hoc prænotato,

Baccon. *Aymus.* *Garcia.* *Sirect.* *Mastrius.* *Poncius.*

61 Probo resolutionem sic: Nihil potest à se ipso dividi, aut separari: ergo quæ separantur, & sunt in pluribus rebus, seu subjectis realiter distinctis arguunt realem distinctionem. Antecedens liquet; siquidem nihil potest esse divisum, & indivisum, separatum, & inseparatum; sed ens est unum indivisum in se, & inseparabile: ergo. Probo illam consequentiam. Separatio, & distinctio est signum evidens divisionis, & proinde distinctionis realis, ut dicam resolutione seq. ergo quæ separantur,

tur, & sunt in pluribus rebus, seu subjectis realiter distinctis, arguunt realem distinctionem.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

62 NOstræ resolutioni opponuntur Fonceca, quem citat, & sequitur Suar. in Metaphys. disp. 7. sect. 1. n. 18. Et alii, excludentes distinctionem propriè realem à modis, pro quibus objicies primò. Modi inter se comparati possunt esse in rebus realiter distinctis; sed non inde arguunt distinctionem realem: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Illa solùm arguunt distinctionem realem, quorum extrema sunt res, & res; atqui modus, & modus non sunt res, & res: ergo licèt modi sint separabiles, non inde arguunt realem distinctionem.

Fonceca.
Suares.

63 Respondeo ad objectionem concessa maiore, negando minorem; ad cujus probationem distingo maiorem: illa solùm arguunt distinctionem realem, quorum extrema sunt res, & res, si nomine rei intelligatur id, quod potest produci, *vel corrumpi* absque productione, & corruptione alterius, concedo maiorem; si nomine rei intelligatur id, quod potest se solo separatum, & conservatum manere, nego maiorem. Igitur modus, quanvis non sit res, quatenus res sumitur hoc secundo modo, est tamen res primo modo sumpta. Unde ipsi modi sic ad invicem comparati semper distinguuntur, & quidem realiter; maximè, cùm neuter habeat rationem modi respectu alterius, ut per se patet. Vide quæ infra dicuntur sect. 3. n. 193.

64 Objicies secundò. Eadem numero albedo, vel

vel nigredo poteſt poni in pluribus rebus, ſeu ſubjectis realiter diſtinctis; atqui tunc non argueret diſtinctionem realem, cúm eſſet eadem; ergo illud quod eſt, vel eſſe poteſt in pluribus rebus, ſeu ſubjectis realiter diſtinctis non eſt ſignum infallibile diſtinctionis realis. Reſpondeo ad objectionem diſting. maiorem: eadem numero albedo, vel nigredo poteſt poni in pluribus rebus, & cæt. naturaliter, nego maiorem: Divinitus, quidquid ſit. Deinde, conceſſa minore, nego conſequentiam in ſenſu diſtinctionis.

65 Objicies tertiò. Eadem anima de facto eſt naturaliter in pluribus ſubjectis realiter diſtinctis; ſed non arguit diſtinctionem realem à ſeipſa: ergo idem quod ſup. Probas maiorem. Anima, quæ informat immediatè manum, eſt eadem, quæ informat immediatè pedem; atqui manus, & pedes ſunt ſubjecta diverſa, & diſtincta realiter: ergo eadem anima de facto eſt in pluribus ſubjectis realiter diſtinctis.

66 Reſpondeo ad objectionem, conceſſa maiore, & minore, diſting. conſequens: ergo illud, quod eſt in diverſis ſubjectis realiter diſtinctis non eſt ſignum infallibile diſtinctionis realis (loquendo jam naturaliter) ſi ipſa diverſa ſubjecta unum per ſe conſtituant, ſive integrale ſit, ſive phyſicum, concedo conſequentiam: ſi unum per ſe hôc modô non conſtituant, nego conſequentiam. Licet ergo eadem anima informet plura, & diverſa ſubjecta, quæ unum per ſe conſtituunt; non inde poteſt informare plura, & diverſa ſubjecta, quæ unum per ſe non conſtituunt, & ſunt ſubjecta diſcontinuata. Hinc fit, quòd anima, quæ informat unum ſubjectum

 di-

distinguatur, & quidem realiter, ab anima, quæ subjectum diversum informat.

67 Instabis. Subjectum esse diversum, & discontinuatum non arguit maiorem distinctionem subjectatis, quam subjectum non discontinuatum: ergo nulla distinctio, & nulla solutio. Probas antecedens. Continuatio subjectorum non arguit maiorem unitatem subjectatis, quàm discontinuatio ipsorum: ergo subjectum esse diversum, & discontinuatum non arguit maiorem distinctionem subjectatis, quàm subjectum non discontinuatum. Probas antecedens. Continuatio subjectorum non affert maiorem unitatem subjectatis, quàm ipsis subjectis; sed ipsis subjectis non affert unitatem identitatis, sed solùm continuitatis, & integritatis: ergo continuatio subjectorum solùm unitatem continuitatis, & integritatis affert subjectatis, & non maiorem unitatem.

68 Confirmabis primò. Non minus idem Deus est in omnibus mundi partibus, & rebus, quanvis valde dissitis, quàm eadem anima in partibus corporis: (porportione servata) ergo quod subjecta sint, vel non sint dissita nihil facit ad arguendam realem distinctionem in subjectatis. Secundò. Idem Angelus potest esse in pluribus partibus disconti- nuis intra sphæram sui loci adæquati: ergo impertinenter se habet ad distinctionem realem arguendam, quód subjecta sint, vel non sint disconti- nua.

69 Respondeo ad instantiam negando antecedens, ad cujus probationem distinguo antecedens: continuatio subjectorum non arguit maiorem unitatem subjectatis, quám discontinuatio ipsorum, lo-

loquendo supernaturaliter, concedo antecedens: loquendo naturaliter, nego antecedens. Ad illius probationem distinguo maiorem modo explicato, & concessa minore, distinguo consequens eodem modo. Igitur certum est, quod continuatio partium, naturaliter loquendo, sit sufficiens, imò requisita conditio, ut eadem forma possit esse in rebus continuatis, quanvis diversis, etsi in illis minimè possit esse si continuata non essent. Ipsæ tamen res, seu subjecta diversa, nullo modo possunt habere identitatem realem inter se; aliàs continuata non essent; cùm idem sibi non continuetur: ergo hôc modó optimè dici potest; quòd continuatio afferat maiorem unitatem subjectatis, quam ipsis subjectis.

70 Ad primam confirmationem respondeo, concesso antecedente, disting. consequens: ergo quòd subjecta sint, vel non sint dissita nihil facit ad arguendam distinctionem realem in subjecto increato, concedo consequentiam: in subjecto creato, nego consequentiam. Nostra enim resolutio solùm de rebus creatis procedit. Deinde hæc confirmatio nihil probat; siquidem Deus non est in subjectis discontinuatis, quin sit in intermediis. Ad secundam confirmationem respondeo negando antecedens, & proinde consequentiam; Angelus namque nequit esse naturaliter in partibus discontinuis, quin sit in intermediis.

71 Objicies quartò. Natura Divina, quæ est in Patre non distinguitur realiter à natura Divina, quæ est in Filio, & Spiritu Sancto: sed Pater, Filius, & Spiritus Sanctus realiter distinguuntur, quin per se constituant unicam tantùm Personam: ergo jam

non

non est signum infallibile distinctionis realis, in rebus, quòd reperiantur in iis, quæ realiter distinguuntur, quamvis non faciant aliquod unum per se. Præmissæ sunt de fide. Consequentia infallibilis. Respondeo ad objectionem, concessis præmissis, disting. consequens; jam non est signum infallibile & cæt. si id quod reperitur in rebus realiter distinctis, sit infinitum, & illimitatum, concedo consequentiam: si sit finitum & limitatum; nego consequentiam. Et ex dictis

72 Deduces primò, subjectata in rebus, seu subjectis extensis, & continuatis non semper inferre identitatem; licet subjectata in subjectis dissitis, & discontinuatis semper arguant distinctionem. Ratio est, quia partes cujuscumque animæ (non loquor de rationali) existentes in subjecto extenso sunt distinctæ realiter, & pars una, quæ est in diversa parte ipsius subjecti, non est pars illa, quæ est in alia diversa parte ejusdem subjecti; cùm aliter non constet, quòd sint identificatæ. Id ipsum locum habet in partibus albedinis, vel nigredinis cujuscumque subjecti extensi. Deduces secundò, non sufficere ad arguendam distinctionem realem in subjectatis, quòd absolutè subjectentur in diversis subjectis: necesse ergo est, quòd immediatè subjectentur. Ratio est, quia albedo immediatè subjectatur in quantitate, & mediatè in pariete, quin proinde arguat distinctionem realem à se ipsa.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Utrùm ea, quæ sunt separabilia, arguant etiam Distinctionem Realem?

73 RResolutio est affirmativa, & deducta ex Doctore in 2. dist. 3. q. 2. art. 4. ℣. *Item. Attribuere*, quem citat & sequitur Mag. Garcia loco sup. n. suo 1480. Hæc est mens Arist. 7. Topic. cap. 1. ad illa verba: *Amplius si potest unum sine altero esse, non erit idem.* Tenent resolutionem Poncius, & Mastrius locis sup. citatis. Unus pro cunctis D. Aug. 6. de Trinit. cap. 6. Sed, ante resolutionis probationem, prænoto, eam esse intelligendam de separatione cujuscumque rei, non tamen de separatione quoad locum, bene quidem quoad quidditatem, & essentiam, dummodo ista non sit duplici quantitate affecta. Hoc prænotato.

Baccon. Garcia. Aristot. Poncius. Mastrius. D. Aug.

74 Probo resolutionem sic. Nihil à seipso potest esse divisum, aut separatum: ergo ea, quæ sunt separabilia, arguunt distinctionem realem. Consequentia sequitur. Probo antecedens. Si idem à se ipso posset esse divisum, aut separatum, idem simul esset, & non esset separatum à se ipso: sed hoc repugnat; quia impossibile est idem simul esse, & non esse: ergo.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

75 NOstræ resolutioni opponuntur aliqui asserentes non quamcumque rei separationem, sed tantùm separationem mutuam infer-

Suares. *Guarinus.* re distinctionem realem. Ita Suares in Metaph. disp. 7. sect. 2. n. 6. Et Guarinus in Log. d. 3. exp. 3. l. *B.* ℣. *Secunda regula.* Pro quibus objicies primò. Ex separatione non mutua convincitur unum extremum, quod potest manere sine altero, habere per se suam entitatem independentem ab alia; non verò alterum habere per se suam entitatem etiam independentem: ergo intellecta resolutione de separatione non mutua, non arguitur distinctio realis. Confirmabis. Ita comparatur motus localis ad mobile, sessio ad sedentem, actio ad terminum; atqui inter ea nulla inveniri potest distinctio realis, sed tantùm modalis: ergo.

76 Respondeo ad objectionem concesso antecedente, quoad primam partem, & disting. quoad secundam: non verò alterum habere per se suam entitatem etiam independentem, quoad existentiam, concedo: quoad desitionem, nego. Explico distinctionem. Verum est, quòd ex separatione non mutua tantùm colligitur unum extremum posse existere sine altero; sic enim existit realitas sine modo: item verum est, quód modus non habeat per se suam entitatem independentem à realitate quoad existentiam; cùm non possit existere sine sua realitate: tamen potest destrui, quin realitas destruatur, imò incipere esse in instanti diverso, á quo realitas incipit, & hoc sufficit ad arguendam realem distinctionem non solùm realitatis à modo, sed etiam modi à realitate; aliter destrueretur realitas, destructo modo. Hinc.

77 Ad confirmationem respondeo; sessionem distingui realiter à sedente; (idem dico de aliis modis comparatis cum suis realitatibus) siquidem potest

test incipere, & destrui, quin incipiat, aut destruatur in eodem instanti aliquid intrinsecum entitatis ipsius sedentis; licèt non possit esse, vel existere sine sedente: ergo optimè colligitur distinctio realis ex separatione, vel separatio mutua sit, vel non mutua. Deinde certum est Deum posse separari à creaturis, & non è contra; & tamen ex separatione istâ non mutua non solùm colligitur Deum distingui realiter à creaturis, sed etiam creaturas à Deo. Tandem, Aristoteles, quando ex separatione infert realem distinctionem, non loquitur tantùm de separatione mutua: ergo quia absolutè infertur realis distinctio à quacunque rei separatione. *Aristotel.*

78 Objicies secundò. Animal existit in homine separatum à leone; atqui animal, & leo non distinguuntur realiter: ergo ex separatione non arguitur distinctio. Respondeo ad objectionem disting. maiorem: animal hominis existit in homine separatum à leone, concedo maiorem: animal leonis existit in homine separatum à leone, nego maiorem. Est idem ac dicere, quòd animal singulare, quod est in homine, sit à leone separatum, non minus ac homo ipse; proindeque sicut homo realiter distinguitur à leone, ita animal ipsius hominis. Verùm animal leonis non est separatum à leone in homine, adeoque non distinguitur realiter à leone. Unde semper ex separatione animalis arguitur realis distinctio.

79 Instabis. Animal hominis non distinguitur ab animali leonis; sed juxta concessa, animal hominis est separatum á leone: ergo etiam animal leonis. Respondeo ad instantiam disting. maiorem: animal hominis non distinguitur ab animali leonis in li-

linea intentionali, concedo maiorem: in linea physica nego maiorem. Deinde ad minorem respondeo, animal hominis esse separatum ab animali leonis physicè, quo pacto distinguitur realiter ab illo.

80 Objicies tertiò. Fundamentum relationis prædicamentalis potest separari ab ipsa relatione, sed non distinguitur realiter ab illa: ergo. Respondeo ad objectionem concessa maiore, negando minorem, & consequentiam. Siquidem fundamentum intendi potest, quin fiat intentior relatio, & è contra; imò potest fieri intentior relatio, remisso fundamento, ut probat Doctor in 1. dist. 32. art. 3. ergo quia fundamentum realiter distinguitur à relatione. Hæc dixi cohærenter ad doctrinam Bacconii. Verùm in opinione non distinguente realiter fundamentum à relatione, aliter

Baccon.

81 Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: fundamentum relationis prædicamentalis potest separari ab ipsa relatione, quoad denominationem, concedo maiorem: quoad entitatem, nego maiorem. Deinde concessa minore, nego consequentiam. Licèt ergo, deficiente termino, à quo logicè dependet relatio, deficiat denominatio relati, non proinde deficit, quoad entitatem, ipsa relatio, cùm, ut supponitur, sit realiter idem cum fundamento.

82 Objicies quartò. Idem homo potest à seipso Divinitùs separari; atqui ex tali separatione non arguitur distinctio; ergo idem, quod sup. Probas maiorem. Potest idem homo Divinitùs esse simul Eboræ, & Conimbricæ; sed tunc separaretur à se ipso; ergo. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: idem homo potest á se ipso Divinitùs

ſeparari; ſi ſit duplici quantitate affectus, concedo maiorem: ſi ſit affectus unica tantùm quantitate, nego maiorem; ad cujus probationem diſtinguo maiorem eodem modo, &, conceſſa minore in ſenſu diſtinctionis, nego, quòd ſequatur aliquid contra reſolutionem, quæ ſolùm procedit de ſeparatione rei, unicâ tantùm quantitate affectæ. Non dubito tamen affirmare, quòd homo, prout eſt affectus unâ quantitate, diſtinguatur à ſe ipſo, aliâ quantitate affecto, quo tantùm pacto ſeparari poteſt.

83 Ratio verò, quia affectus unicâ tantùm quantitate, non poteſt homo eſſe ſimul in duobus locis, v.g. Eboræ, & Conimbricæ, ea eſt: quia una quantitas non poteſt eſſe ſimul in duobus locis; aliter eſſet, & non eſſet una; eſſet una, quia eſſet indiviſa; non eſſet una, quia eſſet diviſa, ut ſupponitur. Jam enim ſup. dixi, ſeparationem ſignum eſſe diſtinctionis, adeoque diviſionis. Duplici tamen affectus quantitate, poteſt idem homo ſimul eſſe in duobus locis; quia corpus, non aliter, niſi ratione ſuæ quantitatis eſt in uno loco circunſcriptivè: ergo, ſi Divinitùs ſit duplici quantitate affectus, poterit eſſe in duplici loco.

84 Objicies quintò. Actus Dei liberi poſſunt deſinere, & ſeparari ab entitate neceſſariâ Divinæ volitionis; atqui non diſtinguuntur realiter ab ipſâ entitate neceſſariâ; ergo non omnis ſeparatio arguit diſtinctionem realem. Reſpondeo ad objectionem (quæ maximè locum habet in Theologia, & tota dependet ab explicatione libertatis actûs Divini) diſtinguendo maiorem: actus Dei liberi poſſunt deſinere, & ſeparari ab entitate neceſſaria Divinæ volitionis, quoad denominationem, concedo maiorem;

rem: quoad entitatem, nego maiorem. Deinde applicata distinctione minori, nego consequentiam.

85 Objicies sextò. Natura Divina, quæ est in Patre, separatur in Filio; sed non distinguitur realiter à naturâ Filii: ergo. Respondeo ad objectionem negando maiorem, & concessâ minore, nego consequentiam. Falsum namque est naturam Divinam, quæ est in una Persona, separari in alia; licèt verum sit, quòd in Personis realiter distinctis sit eadem natura Divina.

86 Instabis. Tunc aliquid separatur à se ipso, quando conjungitur rebus inter se distinctis realiter; atqui natura Divina conjungitur Personis Divinis, quæ realiter inter se distinguuntur: ergo natura Divina, quæ est in Personis realiter distinctis, separatur à se ipsâ. Respondeo ad instantiam disting. maiorem: tunc aliquid separatur à se ipso, quando &c. si sermo sit de aliquo finito, & limitato, concedo maiorem: si sit de aliquo infinito, & illimitato, nego maiorem. Deinde concessa minore, nego consequentiam. Ratio disparitatis est in eo, quòd non possit res finita, & limitata, eo ipso, quòd limitata est, conjungi per identitatem cum rebus realiter distinctis, quin etiam sit realiter distincta; hoc non habet locum in Divinis propter summam illimitationem, & infinitatem, quæ compatitur cum identitate in Personis realiter distinctis, ut docet fides, & non nisi fide credimus.

87 Objicies septimò. Quæ sunt inseparabilia, non arguunt identitatem realem: ergo quæ sunt separabilia, non arguunt realem distinctionem. Probas antecedens. Personæ Divinæ sunt inseparabiles;

les; ſed non habent realem identitatem: ergo. Reſpondeo ad objectionem diſtinguendo antecedens: in Divinis, concedo antecedens; in creatis nego antecedens. In Divinis poteſt conſervari diſtinctio realis cum inſeparabilitate; quia in Divinis Perſonis, quæ ſunt inſeparabiles, adhuc reperitur principium diſtinctionis realis, nempe ratio producentis, & producti; at verò in creatis, poſita inſeparabilitate intrinſeca, nihil inveniri poteſt, à quo proveniat realis diſtinctio; ſicut etiam poſitâ ſeparabilitate, nihil eſt, à quo proveniat identitas realis. Addo, Perſonas Divinas habere identitatem in naturâ, licèt non inter ſe; quod fortaſsè ſufficiet ad negandum abſolutè antecedens.

88 Objicies octavò. Pater Divinus realiter diſtinguitur à Filio, Pater, & Filius ab Spiritu Sancto; atqui nec Pater poteſt ſeparari à Filio, nec Pater, & Filius ab Spiritu Sancto: ergo ex ſeparatione non arguitur diſtinctio. Reſpondeo ad objectionem, conceſsis præmiſsis, negando conſequentiam, quæ ex illis nullo modo ſequitur; quæ enim ſequitur ex illis præmiſsis, eſt hæc conſequentia: ergo ex diſtinctione reali non arguitur ſeparatio, quæ abſolutè eſt vera in Divinis. Unde aliud eſt, quòd ex diſtinctione reali arguatur ſeparatio, & aliud, quòd ex ſeparatione arguatur diſtinctio. Hoc ſecundum ſemper eſt verum; primum autem ſemper eſt falſum in Divinis, imò & in creatis, ſi ſermo ſit de ſeparatione ſumpta pro independentia; quia creaturæ diſtinguuntur realiter à Deo; & modi realiter diſtinguuntur à ſuis realitatibus; & tamen nec creaturæ hoc modo ſeparantur à Deo, nec modi à ſuis realitatibus, ita ut poſſint exiſtere independentes. Ex dictis.

89 Deduces, alia signa, seu indicia arguendi realem distinctionem passim ab AA. tradita, esse insufficientia, vel superflua; adeoque vel ad sup. assignata reduci, vel fallaciam continere. Adverte tamen nullum ex assignatis, seorsim sumptis, dici adæquatum, & convertibile cum distinctione reali; etsi illorum quodlibet sit inadæquatum, & sufficiens ad ipsam realem distinctionem indagandam. Hac de causa movetur.

QUÆSTIO IV.

Quale sit adæquatum signum Distinctionis Realis?

90 RESolutio: Separatio aliquorum in esse, aut actualis, aut potentialis, aut saltem proportionalis, integrat adæquatum signum distinctionis realis. Deducitur ex Doctore locis citatis. Idem docet Scotus in 2. dist. 2. q. 2. quem citat, & sequitur Mastrius in Metaph. loco sup. sedn. suo 188. Concurrunt pariter Poncius sup laudatus, & Amicus tract. de Distinctionibus q. 12. dub. 2. art. 3. Ad intelligentiam resolutionis

Baccon. Scotus. Mastrius. Poncius. Amicus.

91 Prænoto, separationem aliam esse actualem, aliam potentialem, & proportionalem aliam. Separatio actualis tunc datur, quando actu una res non est cum alia, ut v.g. substantia, quæ actu est separata à quantitate realiter distincta. Separatio potentialis tunc datur, quando una res, licèt actu non sit ab alia separata, potest separari, ut v. g. forma, quæ separari potest à materia distincta, licèt actu sit unita materiæ. Separatio proportionalis tunc datur, quando res, licèt nec actu separetur, nec possit

sit separari, habet rationes aliquas illis similes, quibus res aliæ separantur, vel separari possunt. Quare Personæ Divinæ, quanvis nec actu separentur, nec possint separari, non carent separatione proportionali; cùm in illis reperiatur ratio producentis & producti, quæ in rebus creatis arguit separationem actualem. Hoc prænotato

92 Probo resolutionem hoc unico, verùm efficaci, fundamento. Quæ realiter distinguuntur, aut possunt separari, aut habent proportionem similem illis, quæ separantur, aut separari possunt. Deinde quæ separantur actu, aut possunt separari, aut habent proportionem similem illis, quæ separantur, realiter distinguuntur: ergo separatio aliquorum in esse, aut actualis, aut potentialis, aut proportionalis est adæquatum signum distinctionis realis, & cum illa convertibile. Consequentia rectè deducitur. Antecedens constabit ex objectionum solutionibus.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

93 NOstræ resolutioni opponuntur quamplurimi RR. in diversas sententias inclinantes, quarum prima est Pascalig. in Metaph. disp. 64. sect. 4 ubi asserit, adæquatum signum distinctionis realis esse diversitatem generationis, & corruptionis. Secunda est Mag. Bonæ Spei in log. tractatu 1. d. 2. de Distinctionibus dubio 3. n. 131. qui adæquatum, & convertibile signum cum distinctione reali, ponit in capacitate contradictoriorum. Pro prima ergo, objicies primò. Inassignabiles sunt res, quæ diversis generationibus generantur,

Pascal.

Bona-Spes.

rantur, & diversis corruptionibus corrumpuntur, quæ realiter non distinguantur, & è contra: ergo diversitas generationis, & corruptionis est adæquatum signum distinctionis realis: & cum ea convertibile. Probas antecedens. Res omnes, quæ diversis generationibus generantur, & diversis corruptionibus corrumpuntur habent diversas essentias, & existentias; sed res, quæ habent diversas essentias, & existentias, distinguntur realiter: ergo inassignabiles sunt res, quæ diversis generationibus generantur, & diversis corruptionibus corrumpuntur, quæ realiter non distinguantur.

94 Respondeo ad objectionem disting. antecedens: inassignabiles sunt res, quæ diversis generationibus generantur, & diversis corruptionibus corrumpuntur, quæ realiter non distinguantur, & é contra, in creatis, concedo antecedens: in Divinis, & absolutè loquendo, nego antecedens, imò suppositum, scilicet, quòd Pater sit productus, cùm tamen realiter à Filio, & Spiritu Sancto sit distinctus, item quòd in Divinis detur aliquo pacto corruptio, cùm tamen inter Divinas Personas detur vera, & realis distinctio: ergo non recurrit distinctio realis cum generatione, & corruptione diversa, absolutè loquendo.

95 Instabis. Licet Pater distinguatur realiter ab aliis Divinis Personis, & in ipso non recurrat distinctio cum generatione, est quia Pater non est genitus, nec productus; ergo semper reccurrit, cum distinctione reali, productio diversa aliarum Personarum. Antecedens est certum. Probas consequentiam. Filius & Spiritus Sanctus realiter distinguuntur, & producuntur; sed processio Filii est diversa à

pro-

processione Spiritûs Sancti: ergo semper recurrit cum distinctione reali productio diversa aliarum Personarum.

96 Respondeo ad instantiam, concedendo totum, ex quo minimè probatur rationem diversarum generationum esse adæquatum signum distinctionis realis; aliàs ubi daretur distinctio realis daretur utique diversa productio, quod est falsissimum, imò & hæreticum, ut liquet in Patre Divino realiter distincto à Filio, & Spiritu Sancto. Deinde, ut jam sup. dixi, datur vera distinctio realis inter Personas Divinas, quin possit illarum quælibet destrui, aut corrumpi: ergo saltem in Divinis non recurrit diversitas generationis, & corruptionis cum distinctione reali, adeoque in ipsa diversitate generationis, & corruptionis non potest consistere signum adæquatum, & absolutè convertibile cum reali distinctione.

97 Objicies secundò. Si signum adæquatum, & convertibile cum reali distinctione sit etiam pro Divinis, sustineri non potest resolutio: ergo signum sup. assignatum non est absolutè convertibile cum omni distinctione reali. Probas antecedens. Facta suppositione quòd si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, & adhuc ab illo distingueretur realiter, in tali casu nulla ex assignatis separationibus ei competeret; sed semper distingueretur realiter, ut supponitur: ergo, si signum adæquatum, & convertibile cum distinctione reali sit etiam pro Divinis, sustineri non potest resolutio. Probas antecedens. Imprimis non separaretur actu, aut potentiâ; deinde nec proportionaliter; ergo. Antecedens, quoad primam partem, negatur à nemine. Probas quoad

se-

secundam. In tantum separaretur proportionaliter, in quantum se haberet ut productus à Filio, qui se haberet ut producens; sed hæc ratio nulla est, ut supponitur: ergo.

98 Respondent aliqui ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem negant suppositionem, quòd Spiritus Sanctus in illo casu impossibili distingueretur realiter à Filio; cùm nulla tunc daretur oppositio inter Filium, & Spiritum Sanctum. Rejicitur tamen hic modus respondendi in nostra Schola; quia est contra Bacconium in 1. dist. 13. q. 1. art. 5. ℣. *Ideo mihi videtur* distinguentem realiter personaliter Spiritum Sanctum à Filio, adhuc in illa hypothesi; cujus sententia sustinetur fortiter à Mag. Zagaglia tom. 4. disp. 10. n. 32. ubi pro eâdem citat Scotum cum omnibus suis discipulis, &, ex nostris Magistris, Perusin. Sylvestran. & Lezanam.

Baccon. Zagaglia. Scotus. Perusin. Sylvestran. Lezana.

99 Poncius tamen in Metaph. disp. 4. q. 1. n. 9. ℣. *Respondetur* respondet ad objectionem propositam, quòd *licet in tali casu non esset principium, nec principiatum, tamen ex natura sua intrinseca posset esse principiatum in alio casu, nimirum in illo, qui de facto est, & hoc sufficit ut dicatur ab ipso distingui realiter: neque enim quando diximus principiationem arguere distinctionem realem, intelleximus id tantùm de principiatione actuali, sed etiam possibili. Deinde posset dici, & bene, quód descripsimus in conclusione omnem distinctionem realem possibilem, non verò distinctionem omnem quæ daretur in casu impossibili, qualis est casus jam propositus.*

Poncius.

100 Mastrius verò has duas Poncii solutiones impugnat in Metaph. disp. 6. q. 8. n. 188. ℣. *Respondetur*

Mastrius.

pondetur negando. Respondet ergo Mastrius, *quòd in eo casu adhuc Filius, & Spiritus Sanctus correspondérent proportione his, quæ sunt actu separata, vel separari possunt, cùm enim constituerentur per relationes disparatas, & incompossibiles, & omnino alterius rationis, quia unius processio esset per intellectum, alterius verò per voluntatem, talia adhuc in eo casu verificarentur de illis contradictoria qualia nata sunt verificari de actu separatis, vel separabilibus, quòd est proportione illis correspondere.*

101 Placet hæc solutio, quia cohæret doctrinâ Bacconii supra citati. Unde verum est, quòd Spiritus Sanctus adhuc in illa hypothesi distingueretur non solum à Patre, sed etiam à Filio, & quidem realiter, per suam relationem disparatam. Quemadmodum enim ignis per suam igneitatem non solùm distinguitur realiter à suo opposito, nempe ab aqua, sed etiam à cæteris elementis disparatis, scilicet ab aere, & terra; cum per talem igneitatem fundet negationem identitatis cum illis: ita Spiritus Sanctus in illo casu distingueretur per suam relationem non solùm à suo correlativo, nempe Patre, sed etiam à suo disparato, nempe Filio; quia licet non diceret negationem identitatis, saltem in natura, cum Patre, & Filio, semper haberet ipsam relationem cum aliis incompossibilem; non tamen distingueretur ut Spiritus Sanctus, bene quidem ut alter Filius, nam in illa hypothesi esset genitus à Patre, sicut de facto est Filius. In forma ergo *Baccon.*

102 Respondeo ad objectionem initam n. 98. negando antecedens; ad cujus probationem nego

maiorem ; ad cujus probationem conceſſo antecedente quoad primam partem, negatur quoad ſecundam; ad cujus probationem nego maiorem. Ratio mihi eſt : quia etſi de facto ratio producentis, & producti correſpondeat, in Divinis, proportione his, quæ in creatis ſeparantur; tamen in illa hypotheſi non poſſet fundari iſta proportio in tali ratione, ita ut in omnibus Perſonis Divinis reperiretur; cùm, ut ſupponitur, nequaquam Spiritus Sanctus à Filio procederet. Hac de cauſa recurrendum exiſtimo ad ſeparationem proportionalem fundatam in relationibus diſparatis, quæ adhuc in tali caſu diſtinguerent Perſonas Filii, & Spiritûs Sancti, quod etiam eſt proportione correſpondere rebus, quæ de facto ſeparantur, aut ſeparari poſſunt.

103 Objicies tertiò pro ſecunda ſententia. Capacitas prædicatorum contradictoriorum eſt ſignum adæquatum & convertibile cum diſtinctione reali: ergo cætera ſigna, quæ aſſignantur, vel ſuperflua ſunt vel fallacioſa. Probas antecedens. Ex eo quòd ſit verum dicere, *Petrus ſtat*, *Paulus non ſtat*, *Petrus eſt albus*, *Paulus non eſt albus*, bene ſequitur: ergo Petrus & Paulus diſtinguuntur realiter : ergo. Reſpondeo ad objectionem diſting. antecedens: capacitas prædicatorum contradictoriorum & C. etiam, concedo antecedens: Solùm, nego antecedens. Igitur quanvis ex capacitate prædicatorum contradictoriorum arguatur diſtinctio realis; poſſunt utique argui omnes aliæ diſtinctiones, quæ membra ſunt diſtinctionis ex natura rei; ſic que non eſt ſignum ſpeciale diſtinctionis realis ipſa capacitas prædicatorum contradictoriorum. Deinde in Divinis datur capacitas prædicatorum contradictoriorum

rum inter prædicata realiter indistincta: ergo signum assignatum non est absolutè convertibile cum omni distinctione reali.

104 Objicies quartò; & directè contra resolutionem. Quanvis omnes aliæ separationes sint sufficientes ad distinctionem realem arguendam; minimè separationes omnes possibiles: ergo non omnes separationes in resolutione assignatæ integrant adæquatum signum distinctionis realis. Probas antecedens Separationes, quæ fieri possunt per Omnipotentiam sunt possibiles; sed non omnes separationes quæ fieri possunt per Divinam Omnipotentiam sufficientes sunt ad realem distinctionem arguendam: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Non omnes separationes, quæ fieri possunt per Divinam Omnipotentiam nobis innotescunt, sed separationes, quæ nobis non innotescunt, non sunt sufficientes ad realem distinctionem arguendam: ergo.

105 Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem disting. maiorem: non omnes separationes, quæ fieri possunt per Divinam Omnipotentiam nobis innotescunt, sed possunt innotescere, concedo maiorem: non omnes nobis innotescunt, nec possunt innotescere, nego maiorem. Deinde applicata distinctione minori, nego consequentiam. Quia sufficit, quòd separationes omnes per Divinam Omnipotentiam possint innotescere, ad hoc ut veniamus per illas in cognitionem distinctionîs realis. Ex his

106 Deduces primò, posse nos habere notitiam separationum omnium possibilium, vel arguendo ex jam separatis, vel ex eo, quòd separationes non re-

 pugnent,

pugnent, (& si de facto, præter separationem humanitatis à subsistentiâ, & accidentium à subjecto, aliæ, quæ per Divinam Omnipotentiam fieri possunt, sint nobis ignotæ) & hoc modo possunt omnes separationes possibiles nobis innotescere tanquam signa distinctionîs realîs.

107 Deduces secundò, hæc distinctionîs realîs signa, quia speciales continent difficultates scitu dignas, utilissima, & necessaria esse ut verè examinetur locus, & sedes ipsius distinctionis. In aliis autem signis, quæ pro reliquis distinctionibus assignari solent, nolo immorari: quia facilè agnosci possunt ex dictis disp. 1. sectione 2. per totam.

SECTIO II.

De Distinctione Graduali.

QUÆSTIO I.

Utrùm inter essentiam, & existentiam creatam detur Distinctio Gradualis?

Bacconius. 108 Resolutio est affirmativa, singularis, & expressa Resoluti in 3 dist. 1. q. 1. art. 6. ℣. *Dico igitur* ubi loquendo de differentiâ, seu distinctione essentiæ ab existentiâ concludit: *Potest vocari ista differentia secundùm diversos gradus essendi, largé loquendo de gradu essendi, non secundùm diversas essentias, nec secundùm diversos modos, nec secundùm intentiones.* Doctori subscribunt

Aymus. Zagaglia. Mag. Aymus in Metaph. p. 1. dist. 1. q. un. art. 2. ℣. *Resolutio* 5. Mag. Zagaglia tom. 2. tract. 1. disput. 3. se-

sectione 2. §.4. n. 28. Mag. Garcia in Metaph. dist. 1. q. 5. art. 3. §. 4. n. 190. Hanc ut certam supponit Mag. de Castill. in suo Spec. Theol. Baccon. t. 1. tract. 2. q. 4. n. 74. Et eandem fatentur innumeri R. R. etiam ex nostris, in suis m. s. Ad resolutionis intelligentiam. *Garcia de Castilla.*

109 Prænoto primò, essentiam rei dicere non repugnantiam ad esse, habereque esse oppositum chimæræ; quæ quidem non repugnantia ad esse fundatur super positivum ex parte creabilis, non quod tale sit secundùm quid rei, sed solùm tale secundùm quid nominis; dicitur ergo hæc non repugnantia potentia objectiva, quam important creaturæ ab æterno, & habent per ordinem ad omnipotentiam Dei.

10 Prænoto secundò, existentiam nihil esse præter actualitatem essentiæ; cùm essentia sit in potentia ejusdem rei, quæ eo ipso quòd ad actum transferatur, fit actu existens, quatenus per operationem agentis ab esse potentiali est ad esse actuale translatum; & ideo docet Bacconius, quòd esse, sive existentia sunt idem secundùm rem, qua identitate non obstante, important diversos gradus essendi, sive distinctionem gradualem; quia eadem res accepta, ut est essentia, importat gradum essendi potentiâ, ut verò est existentia, importat gradum essendi in actu Hinc

111 Prænoto tertiò, distinctionem gradualem intercedere inter essentiam in potentia, & existentiam actualem, non inter essentiam, & existentiam possibilem, neque inter essentiam actualem, & actualem existentiam; siquidem essentia actualis est in eodemmet gradu in quo est actualis existentia, & sic nec in essentiâ, nec in essendo realiter descriminantur, sed solùm ratione; cùm enim ex parte objecti nihil nomine essentiæ actualis exprimatur,

 quod

quod etiam non exprimatur per existentiam, sequitur, quód essentia actualis, & existentia sint ex parte objecti synonimæ, eo modo quo vestis & indumentum, ut benè notavit Mag. Aymus citatus, sed ℣. suo *Resolutio* 4. Igitur gradus translationis non reperitur hic nisi in essentiâ possibili in ordine ad actualem existentiam. Hic modus discurrendi est contra aliquos doctissimos Bacconistas, verùm videtur de mente Resoluti. His prænotatis,

Aymus.

112 Probo resolutionem, & primò sic: Essentia possibilis est potentia totalis, & existentia actualis est actus totalis: sed inter potentiam totalem, & actum totalem datur distinctio gradualis: ergo. Probo maiorem. Essentia possibilis solùm est in potentia ad existendum, & non existit; deinde existentia actualis totaliter est in actu: ergo essentia possibilis est potentia totalis, & existentia actualis est actus totalis. Probo minorem. Inter potentiam totalem, & actum totalem non datur distinctio varians essentiam, sed solùm varians gradus ejusdem essentiæ; sed hæc est gradualis: ergo.

113 Probo secundò eamdem resolutionem sic: Essentia possibilis, & existentia actualis distinguuntur realiter, sed non realiter realiter, nec realiter virtualiter; nec realiter modaliter, nec realiter formaliter: ergo realiter gradualiter. Probo maiorem. Quæ realiter separantur realiter distinguuntur; sed essentia possibilis, & existentia actualis realiter separantur: ergo. Probo minorem quoad primam partem. Si essentia possibilis & existentia actualis ditinguerentur realiter réaliter, vel existentia differret ab essentia tanquam substantia, vel tanquam accidens; sed tanquam substantia non; quia nec est materia,

teria, nec forma; cùm ista sit pars essentiæ, à qua causatur esse, & illa potius recipiat, quàm det esse formaliter: ergo. Deinde tanquam accidens non; quia tunc substantia existeret virtute accidentis: ergo. Probo eamdem minorem quoad secundam partem. Distinctio realis virtualis non facit quòd unum separetur ab alio; sed essentia possibilis separatur ab existentiâ actuali: ergo. Probo eamdem minorem quoad tertiam partem. Essentia, & existentia naturæ substantialis reponuntur in eodem prædicamento substantiæ; sed quæ pertinent ad idem prædicamentum nequeunt realiter modaliter distingui: ergo. Probo eamdem minorem quoad ultimam partem eodem fundamento, quo probavi quoad secundam. Et addo, esse in actu, & esse in potentia non esse formalitates intentionales, quo posito, nullo pacto realiter formaliter distinguuntur.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

114 NOstræ resolutioni opponuntur Soncinas 4. Metaph. q. 2. Manca 1. Physicorum dubio 1. Nasarius p. 1. q. 3. art. 4. controv. 1. Navar. p. 1. controv. 14. Mag. Blasius à Conceptione disp. 6. Metaph. q. 2. & cæteri Thomistæ communiter docentes essentiam, & existentiam realiter distingui; ita quod existentia de se non sit substantia, nec accidens, sed solùm sit substantia existentia substantiæ, & accidens existentia accidentis; citantque pro hac sententiâ D. Angelicum p. 1. q. 3. art 4. & 2. Sic procedunt contra Avicenam, Alpharrab. & alios, qui dicunt, existentiam esse accidens quoddam rebus super additum. Alii defendunt, nullam intercedere distinctionem nisi per intellectum inter es-

Soncinas
Manca.
Nasarius.
Navarr.
Blasius.
D. Thomas.
Avicen.
Alpharrab.

essentiam, & existentiam. Ita Alensis 4. Metaph. textu 14. Aureolus, Durandus, Gabriel, quos sequitur Nominalium turba. Verùm hi non procedunt directè contra resolutionem propositam, quia loquuntur præcipuè de existentiâ cum actuali essentiâ comparatâ.

Alens. Aureolus. Durandus. Gabriel.

115 Alii tandem (relictis aliis) dicunt, existentiam distingui modaliter intrinsecè ab essentiá, quam distinctionem vocant formalem actualem ex natura rei. Sic Scotus, & Scotistæ omnes, teste Mastrio tom. 5. disp. 8. q. 2. art. 4. Hi etiam solùm loquuntur de distinctione existentiæ cum actuali essentiâ comparatæ, &, proportione servatâ, de existentiâ possibili cum essentiâ possibili, non de essentiâ possibili cum existentiâ actuali, ut inquit idem Mastrius citatus art. 6. n. 83. Ideo restat tantùm objectiones resolutionem directè impugnantes dissolvere, & ad Thomistarum argumenta respondere. Igitur

Scotus. Mastrius.

116 Objicies primò. Existentia non addit rem supra essentiam: ergo non distinguitur gradualiter ab illa. Antecedens est certum in Scholâ Bacconicâ. Probas consequentiam. Implicat, quòd aliquid distinguatur gradualiter ab alio, & non addat rem supra illud: ergo. Probas antecedens. Implicat, quòd aliquid distinguatur realiter ab aliquo, & non addat rem supra illud; sed quod distinguitur gradualiter, distinguitur realiter: ergo. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem nego antecedens; ad cujus probationem disting. maiorem: implicat &c. si distinguatur realiter ab illo secundùm aliquid receptum, concedo maiorem: si distinguatur realiter ab

ab illo secundùm gradum translationis, nego maiorem, & concessâ minore in hoc sensu, nego consequentiam.

117 Certum est, quòd existentia adderet aliquid reale supra essentiam, si ab illâ distingueretur realiter, tanquam aliquid receptum in ea, eo modo, quo aer v. g. participat lucem, & corpus albedinem; verùm non est ita; quia essentia de se est quasi abstractum indifferens ad esse, & non esse, & solùm dicitur, esse, seu existere, quando est producta in effectu per potentiam agentis. Unde existentia non differt realiter ab essentiâ, quasi addat aliquam entitatem supra, sed est ipsamet essentia producta, & in actu. Hoc explicat Doctor in 3. dist. 10. q. 1. art. 4. ℣. *Dico quòd* his verbis: *Sicut si dicerem, quòd Sol produceret radium suum per se subsistentem, non dicerem aliquid receptum in radio, sicut lux recipitur in aere, sed tantùm dicerem essentiam radii subsistentem, vel productam in effectu, quæ primò fuit in potentia tantùm.* *Bacconius.*

118 Objicies secundò. Eodem modo, quo concipitur essentia debet correspondere existentia: ergo inter essentiam, & existentiam non datur distinctio gradualis. Probas antecedens. Essentiæ possibili correspondet existentia possibilis, & essentiæ actuali correspondet existentia actualis: ergo. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam Quia ex objectione solùm sequitur, quòd non reperiatur distinctio gradualis inter essentiam, & existentiam possibilem, vel inter essentiam actualem, & actualem existentiam, quod est verum; quia quocumque ex his modis, sunt synonima essentia & existentia. Unde non sequitur.

tur, quòd inter essentiam possibilem, & existentiam actualem non detur distinctio gradualis.

119 Instabis. Essentia actualis est possibilis; sed inter essentiam actualem, & actualem existentiam non datur distinctio gradualis, juxta dicta: ergo neque inter essentiam possibilem, & actualem existentiam. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem; essentia actualis est possibilis, ita ut possibilitas sit jam translata ad gradum actualitatis, concedo maiorem: ita ut non sit jam translata ad talem gradum, nego maiorem. Deinde distingo minorem: sed inter essentiam actualem, & actualem existentiam non datur distinctio gradualis, si essentia actualis reduplicativè sumatur ut actualis est, concedo minorem: si sumatur specificativê, nego minorem. Primo modo nec gradualiter distinguitur essentia ab existentiâ juxta dicta n. 111. at secundô modô gradualiter distinguuntur; quia essentia, licèt sit in actu posita, non deperdit rationem seu conceptum essentiæ, quæ ex se præscindit ab actu. De hoc iterum infra n. 152. Sed contra hanc solutionem specialiter

120 Replicabis. Licet essentia materiæ primæ actu existat, tamen nec specificativè sumpta distinguitur gradualiter ab existentiâ per quam existit: ergo essentia actualis nec specificativè sumpta distinguitur ab actuali existentia gradualiter. Probas antecedens. Distinctio gradualis supponit identitatem physicam; sed hæc non datur inter essentiam materiæ, & existentiam, per quam existit: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Materia prima non existit per propriam existentiam: ergo inter essentiam materiæ, & existentiam per quam existit non

non datur identitas physica. Antecedens constat ex doctrinâ Resoluti quodl. 2. q. 9. art. 1. ℣. *Quartò igitur* ubi loquendo de materiâ primâ docet: *Quòd non solùm excludat actualitatem cujuslibet formæ substantialis, & accidentalis, sed etiam excludat omnem actualitatem quocumque modo conceptibilem.* *Bacconius.*

121 Respondeo ad replicam, concesso antecedente, disting. consequens: loquendo de essentiâ puræ potentiæ, concedo consequentiam: loquendo de essentiâ actùs, nego consequentiam. Si sermo sit de essentiâ puræ potentiæ, qualis est materia prima, sit ita, quòd non distinguatur gradualiter ab existentia propter rationem objectionis; tamen si loquatur de essentia actûs, totum id est falsum; quia essentia actûs, adhuc translata ad gradum actualitatis distinguitur gradualiter ab actuali existentiâ, dummodo specificativè sumatur. Dixi *pro nunc*, quia suo loco erit disputandum: an materia prima habeat, vel non habeat propriam existentiam ex mente Resoluti.

122 Objicies tertiò. Realitas rei possibilis nec gradualiter distinguitur à realitate rei actualis: ergo neque essentia possibilis ab actuali existentiâ. Antecedens videtur certum; quia realitas rei possibilis, & actualis sunt prorsus idem. Probas consequentiam. Realitas rei actualis est existentia: ergo si realitas rei possibilis nec gradualiter distinguitur à realitate rei actualis, sequitur, quòd essentia possibilis non distinguatur ab actuali existentiâ. Respondeo ad objectionem negando antecedens, & simul consequentiam; quia distinctio gradualis non opponitur identitati reali physicæ, & sic quanvis non detur inter diversas essentias, datur tamen inter

ter gradus ejusdem essentiæ; jam verò realitas rei possibilis, & rei actualis; licèt sint prorsus idem, tamen gradus ipsius realitatis sunt diversi. Et per hoc patet ad probationem antecedentis, & consequentiæ.

123 Objicies quartò. Si existentia importaret aliquid distinctum gradualiter ab essentiâ, haberet aliquem effectum formalem; sed nullus assignatur effectus formalis existentiæ sic distinctæ: ergo falsum est, quód essentia, & existentia gradualiter distinguantur. Maior liquet à paritate subsistentiæ, quæ, quia distinguitur gradualiter ab essentiâ actuali, habet utique effectum formalem, scilicet terminare dependentiam naturæ. Probas minorem. Si aliquis assignaretur effectus formalis existentiæ hominis v. g. sic distinctæ à sua essentia, esset humanare; sed talis effectus præstatur ab essentiâ: ergo.

124 Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem disting. maiorem: esset humanare actu, concedo maiorem: humanare præcisè, nego maiorem. Deinde nego minorem in sensu distinctionis, & consequentiam. Quia licèt humanare sit effectus formalis essentiæ hominis, sicut & substantiare est effectus formalis naturæ substantialis; tamen humanare actu, substantiare actu, solùm est effectus existentiæ. Quare duplex assignari potest effectus formalis existentiæ sic distinctæ; primarius est substantiare actu; secundarius verò est actu subsistere. Addo, existentiam non habere effectus formales ratione distinctionis gradualis ab essentiâ; quia etiam subsistentia distinguitur gradualiter â naturâ, & tamen nullum habet effectum formalem. Habet ergo existentia di-

dictos effectus formales; quia hi non præstantur ab essentiâ sub gradu potentiæ præcisè.

125 Instabis. Substantiare actu est effectus formalis subsistentiæ actualis: ergo non est effectus formalis existentiæ actualis. Probas antecedens. Substantiare actu est actu per se stare; sed actu per se stare est effectus formalis subsistentiæ actualis. ergo. Maior est certa. Probas minorem. Actu per se stare est actu independere ab altero; sed actu independere ab altero est effectus formalis subsistentiæ: ergo. Respondeo ad instantiam negando antecedens: ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; quia quod actu independet ab altero, vel independet tanquam à subjecto, vel tanquam à supposito; ergo cúm independere actu tanquam à subjecto sit effectus formalis primarius essentiæ substantialis existentis; & independere actu à supposito sit effectus formalis secundarius ejusdem essentiæ actu existentis, sequitur, quòd subsistentiæ nullus sit effectus formalis, cùm ipsa potius sit effectus formalis secundarius naturæ substantialis.

126 Objicies quintò. Licet essentia possibilis non dicat existentiam actualem, non proinde arguit distinctionem gradualem ab existentià actuali: ergo existentia actualis non distinguitur gradualiter ab essentià possibili. Probas antecedens. Licet animal non dicat rationale, non proinde arguit distinctionem gradualem à rationali: ergo similiter. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est longa: quia animal non

non poteſt ſeparari à rationali hominis, ſed ſolùm cognoſci, illo non cognito, & ideo ſolùm probatur diſtinctio formalis intentionalis inter illa; at verò eſſentia poſſibilis eſt realiter ſeparabilis ab exiſtentiâ actuali, ſeu à gradu exiſtendi, aliter non tranſiret de gradu in gradum, & ideo inter eſſentiam poſſibilem, & exiſtentiam actualem arguitur diſtinctio gradualis.

127 Objicies ſextò. Admiſſâ diſtinctione graduali inter exiſtentiam, & eſſentiam poſſibilem, eo ipſo admittitur inter hæc identitas realis; ſed talis identitas eſt implicatoria: ergo etiam talis diſtinctio. Maior eſt certa, quia per Bacconium. Probas minorem. Implicat identitas realis phyſica inter aliquid & nihil; ſed exiſtentia eſt aliquid, & eſſentia poſſibilis eſt nihil: ergo. Reſpondeo ad objectionem conceſſâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem conceſſâ maiore, & minore quoad primam partem, diſting. quoad ſecundam: eſſentia poſſibilis eſt nihil formaliſale, concedo; eſt nihil rigoroſum, nego. Nihil rigoroſum non poteſt habere identitatem cum aliquo, quia eſt deſtructivum alicujus; tamen nihil formaliſale cùm perficiatur per exiſtentiam, ideo poteſt cum ipſa exiſtentia identificari.

128 Inſtabis. Tam eſt omnino nihil, nihil rigoroſũ, quàm nihil formaliſale: ergo ſi implicat identitas inter aliquid & nihil rigoroſum, ita inter aliquid, & nihil formaliſale. Probas antecedens. Tam nihil formaliſale, quàm nihil rigoroſum dicit carentiam exiſtentiæ: ergo. Reſpondeo ad inſtantiam diſting. antecedens: tam eſt omnino nihil &c. omnitate rei, concedo antecedens: omnitate modi, nego antecedens;

cedens; ad cujus probationem disting. antecedens: tam nihil formalisale, quàm nihil rigorosum dicit carentiam existentiæ actualîs, concedo antecedens: existentiæ possibilîs, nego antecedens; aliàs ens possibile logicè, esset tam impossibile, quàm ens impossibile. Unde nihil rigorosum nec habet existentiam actualem, nec possibilem, nihil verò diminutum, licet careat existentiâ actuali, non caret existentiâ possibili, quod sufficit ad hoc ut possit identificari cum existentiâ actuali.

129 Replicabis. Implicat identitas realis inter aliquid existens, & aliquid dicens carentiam existentiæ; sed existentia est aliquid existens & nihil formalisale est aliquid dicens carentiam existentiæ: ergo. Respondeo ad replic. distinguendo maiorem: implicat identitas realis inter aliquid existens, & aliquid dicens carentiam existentiæ tam actualîs, quàm possibilîs, concedo maiorem: actualîs tantùm, nego maiorem. Deinde applicatâ distinctione minori, nego consequentiam.

130 Urgebis. Si id, quod actu non existit, posset identificari cum illo, quod actu existit ratione existentiæ possibilis, conservaret ipsam existentiam possibilem identificatam cum existentiâ actuali, etiam quando transit ad actualem existentiam; sed hoc non: ergo neque illud ex quo sequitur. Maior patet. Probas minorem. Positâ productione, non manet existentia possibilis: ergo quod actu non existit non potest conservare ipsam existentiam possibilem identificatam cum existentiâ actuali. Respondeo ad urg. concessâ maiore, negando minorem: ad cujus probationem nego antecedens; quia actus existendi non aufert logicam possibilitatem,

seu

seu potentiam ad existendum, imò eam perficit, eo modo, quo actus totalis, qui potius perficit, quàm destruit potentiam totalem, & forma rationem puræ potentiæ materiæ.

131 Reurgebis. Positâ productione, essentia intrinsecè immutatur ex possibili in actualem: ergo essentia possibilis non potest conservare identitatem cum existentiâ actuali. Probas antecedens. Essentia in potentia solùm est essentia secundùm quid, existentia veró actualis est essentia simpliciter: ergo positâ productione essentia, sive existentia possibilis intrinsecè immutatur ex possibili in actualem. Respondeo ad reurg. disting. antecedens: positâ productione, essentia sive existentia possibilis immutatur &c. in essendo, concedo antecedens; in essentiâ, nego antecedens; ad cujus probationem concesso antecedente, disting. consequens modo dicto. Dico quòd, positâ productione, solùm datur transmutatio in essendo, non in essentiâ; quia essentia est eadem, translata de gradu in gradum. Nec obstat, quòd essentia possibilis sit solùm essentia secundum quid, & non sit talis simpliciter, sicut est essentia actualis, seu existentia; quia hoc solùm probat distinctionem gradualem, non realem essentialem; aliàs diversa esset definitio hominis in potentia, & hominis in actu. Hæ sunt præcipuæ objectiones directè resolutionem impugnantes. Audiamus nunc Thomistas realem distinctionem admittentes, pro quibus

132 Objicies septimò. Existentia est actus realiter receptus in essentiâ: ergo distinguitur realiter physicè ab essentiâ. Consequentia patet; quia inter recipiens realiter; & realiter receptum debet
dari

dari distinctio realis. Probas antecedens. Si existentia non esset actus realiter receptus in essentiâ, esset actus simpliciter purus & infinitus; sed hoc non: ergo. Probas sequelam maioris. Quod caret omni potentialitate, est actus purus; sed si existentia non esset actus realiter receptus in essentiâ, careret omni potentialitate: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Si existentia haberet aliquam potentialitatem, esset potentialitas ut reciperetur in essentiâ: ergo si ita non reciperetur, careret omni potentialitate, adeoque esset actus purus simpliciter, & infinitus.

133 Respondeo ad objectionem negando antecedens: ad cujus probationem nego maiorem: ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem nego antecedens. Licèt existentia careat potentialitate ad hoc ut recipiatur in essentiâ, habet tamen potentialitatem ad hoc ut recipiat aliquas formas; recipit enim accidentia, &, cùm producta sit, fundat relationem producentis ad productum limitatum, & finitum. Quare falsum est, quòd sit actus purus simpliciter, & infinitus, licèt sit verum, quòd non recipiatur in essentiâ, quia juxta Doctorem existentia est ipsamet essentia producta.

134 Instabis. Essentia possibilis est potentia ad esse, idest, ad existere; sed potentia ad existere dicit potentialitatem ad hoc ut recipiat existentiam: ergo existentia recipitur in essentiâ. Respondeo ad objectionem concessâ maiore, negando minorem; quia essentia non est potentia partialis, sicut materia, sed est potentia totalis, & ideo existentia non est forma recepta in essentiâ, sicut forma in mate-

ria. Igitur existentia solùm acquiritur ab essentiâ per translationem ejusdem rei de potentia ad actum.

135 Replicabis. Si existentia non esset recepta in essentiâ propriè, & rigorosè, creatura careret compositione in ratione entis; sed hoc non: ergo. Maior liquet. Probas minorem. Carere tali compositione solùm competit Deo: ergo. Respondeo ad replic. distinguendo maiorem: creatura careret compositione in ratione entis, compositione reali secundúm diversas res, concedo maiorem: compositione graduali secundúm diversos gradus, nego maiorem, & applicata distinctione minori, nego consequentiam. Ad probationem minoris dico Deum non solùm excludere primam, sed secundam compositionem, qua propter distat maximè à creaturâ.

136 Objicies octavò. In existentiâ actuali reperitur aliquid, quod non reperitur in essentiâ possibili: ergo illa distinguitur realiter ab istâ. Probas antecedens. Existentia actualis potest actu exercere suas operationes; sed hoc non potest essentia possibilis: ergo. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam; quia ex tali antecedente solùm sequitur, quòd existentia actualis distinguatur gradualiter, seu in essendo, ab essentia possibili; sicut sequitur sola distinctio gradualis ex eo, quòd essentia possibilis non habeat sub illo statu actualem essentiam, quam habet existentia actualis. Unde hæc, & similes objectiones solvuntur facilé, si recte attendatur ad diversitatem in essendo ejusdem essentiæ.

137 Objicies nonò. Essentia, & existentia realiter separantur: ergo realiter distinguuntur. Con-

ſequentia liquet; quia ſeparatio eſt ſignum diſtinctionis realis juxta dicta ſectione præced. num.73. Probas antecedens. Exiſtentia corrumpitur non corruptâ eſſentiâ: ergo eſſentia, & exiſtentia realiter ſeparantur. Probas antecedens. Mortuo hoc homine, corrumpitur ejus exiſtentiâ; ſed eſſentia non: ergo exiſtentia corrumpitur, non corruptâ eſſentiâ. Maior eſt certa. Probas minorem. Eſſentiæ ſunt incorruptibiles: ergo. Reſpondeo ad objectionem diſting. antecedens: eſſentia actualis, & exiſtentia actualis realiter ſeparantur, nego antecedens: eſſentia poſſibilis, & exiſtentia actualis, ſubdiſtingo: realiter ſeparantur in eſſendo, concedo antecedens: in eſſentiâ, nego antecedens; ad cujus probationem neg. ant. ad cujus prob. applicatâ illa ſubdiſtinctione maiori, & conceſſa minore de eſſentiâ poſſibili, diſtingo conſequens modô dictô.

138 Si ſermo ſit de eſſentiâ actuali comparatâ cum actuali exiſtentiâ, non ſolùm corrumpitur exiſtentia, ſed etiam eſſentia: quia hæc ſunt Synonima, & ſic æqualiter corrumpuntur. Si veró loquatur de eſſentiâ poſſibili cum actuali exiſtentia, corrumpitur exiſtentia, non corruptâ eſſentiâ, ex quo ſolùm arguitur diſtinctio gradualis, non realis phyſica intet utramque; quia, propriè loquendo, ſolùm corrumpitur gradus exiſtentiæ. Sic intelligo Reſolutum in 3. diſt. 10. q. 1. art. 6. ℣. *Ad quintum* dicentem: *Quod eſſe* (hoc eſt, exiſtentia actualis) *corrumpitur, manente eſſentiâ, quia res poteſt corrumpi ablatione unius gradûs eſſendi, remanente tamen re ſub alio gradu eſſendi.* Igitur ſeparatio, quæ arguit diſtinctionem realem phyſicam, eſt ſeparatio in eſſentiâ, non in eſſendo. Et quando dici- *Baccon.*

 tur,

tur, quòd essentiæ rerum sint incorruptibiles, hoc non est intelligendum de essentiis actualibus, sed de essentiis secundùm non repugnantiam, quam habent ad existendum.

139 Objicies decimo. Existentia hodierna Petri distinguitur realiter ab existentiâ crastinâ ejusdem Petri; sed essentia est eadem: ergo absolutè verum est, quòd existentia non sit essentia realiter. Probas maiorem. Quæ realiter separantur, realiter distinguuntur; sed existentia hodierna Petri realiter separatur ab existentiâ crastinâ ejusdem Petri: ergo. Probas minorem. Petrus semper est animal rationale Petreitatum, vel existat hodie, vel cras existat: ergo. Relictis aliorum solutionibus, cum

Zagaglia. Mag. Zagaglia

140 Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: existentia hodierna Petri distinguitur realiter ab existentiâ crastinâ ejusdem Petri, si existentia sumatur pro persistentia in esse, sive pro duratione, concedo maiorem: si existentia sumatur pro ultima actualitate essentiæ, ac perfectione in esse individui naturæ in actu, nego maiorem; ad cujus probationem, concessa maiore, & applicatâ distinctione minori, distingo consequens modo dicto. *Si* nomine existentiæ intelligatur terminus adæquatus generationis, seu ultima actualitas essentiæ, dico, quòd non distinguitur existentia hodierna ab existentiâ crastinâ; quia res semel producta conservat ultimam actualitatem suæ essentiæ, quæ semper est eadem, vel existat hodie, vel cras; si verò nomine existentiæ intelligatur persistentia in esse, sive duratio, tunc concedo, quòd existentia hodierna distinguatur plusquam gradualiter ab existentiâ crasti-

craſtinâ. Videatur Mag. Zagaglia tom. 2. p. 2. diſp. 8. §. 2. Zagaglia.

141 Objicies undecimò. Exiſtentia actualis Petri eſt extra conceptum eſſentiæ poſſibilis ejuſdem; ergo diſtinguitur realiter ab illâ. Probas antecedens. Si non eſſet extra conceptum eſſentiæ poſſibilis, includeretur in conceptu adæquato ipſius eſſentiæ: ſed hoc non: ergo. Maior patet. Probas minorem. Si includeretur in conceptu adæquato ipſius eſſentiæ, ipſa eſſentia eſſet ab æterno exiſtens; ſed hoc non eſt dicendum: ergo neque illud. Reſpondeo ad objectionem diſting. antecedens: exiſtentia actualis Petri eſt extra conceptum eſſentiæ, &c. ſumptâ exiſtentiâ ſecundum id, quod importat in recto, concedo antecedens: ſumptâ ſecundùm id, quod importat in obliquo, nego antecedens; ad cuius probationem, conceſſâ maiore in ſenſu diſtinctionis, nego minorem; ad cujus probationem nego ſequelam maioris; quia exiſtentia actualis Petri importat in obliquo eamdem eſſentiam, quæ erat poſſibilis, ex quo ſolùm ſequitur, quòd eſſentia eſſet ab æterno poſſibilis, non ab æterno exiſtens; in recto autem exiſtentia ſolùm importat gradum actualitatis, qui, licet ſit extra conceptum eſſentiæ poſſibilis, non facit, quòd exiſtentia actualis realiter diſtinguatur ab eſſentiâ poſſibili, ſed ſolùm gradualiter.

142 Inſtabis. Exiſtentia actualis Petri importat in recto actualitatem, & in obliquo eſſentiam poſſibilem: ergo inter ipſam actualitatem, & eſſentiam poſſibilem debet admitti diſtinctio realis. Antecedens conſtat ex dictis. Probas conſequentiam. Ea, quorum unum importatur in recto, & alterum in obliquo, realiter diſtinguuntur: ergo.

Respondeo ad instantiam, concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem disting. antecedens: ea, quorum &c. si tam id, quod importatur in recto, quàm in obliquo, sit res, concedo antecedens: si saltem in recto sit gradus, nego antecedens. Cùm ergo existentia in recto solùm dicat gradum actualitatis ejusdem rei, quæ erat possibilis, sequitur, quòd tantùm gradualiter distinguatur existentia actualis ab essentiâ possibili.

143 Replicabis. Existentia actualis dicit in recto gradum actualitatis: ergo dicit rem. Antecedens constat ex concessis. Probas consequentiam. Talis gradus actualitatis est aliquid, & est ens: sed ens est res: ergo. Respondeo ad replicam, concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem distingo maiorem: talis grâdus actualitatis est aliquid, & ens indirectè, concedo maiorem: directè, nego maiorem, & concessâ minore, nego consequentiam. Dico, quòd gradus ille sit ens indirectê; quatenus est gradus rei, quæ directè est extra nihil; enim verò ad hoc ut existentia actualis distingueretur realiter physicè ab essentiâ possibili, opus erat, quòd adderet, & diceret ens directè tale supra illam, ideo cùm hoc non dicat, solùm gradualiter distinguitur ab essentiâ possibili.

144 Objicies duodecimò. Existentia actualis creata distinguitur realiter ab essentiâ actuali: ergo etiam ab essentiâ possibili. Probas antecedens. Si existentia actualis non distingueretur realiter ab essentia actuali, creatura existeret per essentiam; hoc non: ergo. Probas maiorem. Existeret per existentiam, quæ esset realiter essentia: ergo existeret per essentiam. Probas minorem. Si creatura existeret per

per essentiam, existeret necessariò; hoc uni Deo convenit: ergo non est dicendum, quòd creatura existeret per essentiam. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem nego maiorem. Verum est, quòd creatura existens per actualem existentiam indistinctam realiter physicè (imò, & gradualiter; dummodò reduduplicativè sumatur) ab actuali essentia, existeret per essentiam actualem; aliter existeret, & non existeret per existentiam actualem, quod est implicatorium: non existeret proinde necessariò; quia existere necessariò sonat existere absolutè, & independenter, quod nulli creaturæ convenit; cùm omnis existat dependenter à libito creatoris.

145 Instabis. Si creatura sit existens per essentiam, necessariò existit: ergo non stat solutio. Probas antecedens. Si creatura sit non existens per essentiam necessarió non existit: ergo si creatura sit existens per essentiam necessariò existit. Consequentia urget. Probas antecedens. Creatura, ex cujus existentiâ sequitur contradictio, necessariò non existit; sed si creatura sit non existens per essentiam, ex ipsius existentia séquitur contradictio: ergo si creatura sit non existens per essentiam necessariò non existit. Maior liquet ex terminis; aliter existeret contradictio. Probas minorem. Sequitur, quòd existat, & non existat: ergo. Probas antecedens. Imprimis sequitur, quòd existat, ut supponitur; sed quando existeret haberet sibi identificatam suam essentiam, quæ esset non existere: ergo sequitur, quòd existat, & non existat. Celeberrima sanè, & subtilissima instantia, quæ sola subtili-

 tate

tate celeberrimi, & subtilissimi Thomæ de Muniessa dissolvi potest. Cum tanto Mag. cujus ingenium in scriptis suis evolvendis quotidie miror, dum non pauca edisco

Muniessa.

146 Respondeo ad instant. negando antecedens; ad cujus probationem concesso antecedente, (cave ne illud neges: habet enim evidentem probationem) nego consequentiam. Disparitas est, quia creatura, quæ haberet per essentiam suam non existere, si existeret, existeret, & non existeret, quod involvit contradictionem, & ideo creatura, quæ haberet per essentiam non existere, necessariò non existeret; at verò ex existentià creaturæ existentis per essentiam, solùm sequitur, quòd existat quando existit, seu quando habet essentiam actualem; non ergo sequitur quòd necessariò existat, quia potest carere existentia, & essentia actuali absque contradictione. Hæc doctissimè Muniessa tract. de Essentia, & Attributis disp. 2. sectione 1. n. 6. concludens his verbis: *Si huic evidenti solutioni non acquiescunt Thomistæ, aliam meditentur ad idem argumentum, quod potest illis objici in illo suo Modo existentiæ, per se, & non per alium modum formaliter existente: & caveant, consulo, ne, sicut superaddunt modum, quo res contingenter existens, formaliter existat; cogantur admittere alium modulum, quo res contingenter non existens formaliter non existat: utrumque enim istud sive existere, sive non existere est rei cuicumque creatæ pariter logicè contingens.* Sed adhuc

Muniessa.

147 Replicabis. Ideò illa creatura habens per essentiam non existere, necessariò non existeret, quia ex ipsius existentiâ sequitur contradictió, nempe

pe existere, & non existere; sed eadem contradictio sequitur ex non existentiâ creaturæ habentis per essentiam existere: ergo. Maior constat ex dictis. Probas minorem. Sequitur, quòd non existat, ut supponitur. Sed tunc existeret: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Quando non existeret adhuc haberet essentiam; sed essentia est realiter existentia: ergo tunc existeret, quando non existeret. Confirmabis. Illa creatura non existeret, quando existeret, quia sua essentia esset non existere; sed essentia creaturæ habentis essentiam indistinctam realiter à sua existentiâ, esset existere: ergo si illa non existeret quando existeret, ista existeret quando non existeret.

148 Respondeo ad replicam, concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem distingo maiorem: quando non existeret, adhuc haberet essentiam possibilem, concedo maiorem; essentiam actualem, nego maiorem. Deinde distingo minorem: essentia actualis est realiter existentia, concedo minorem: essentia possibilis, subdistingo: est realiter physicè existentia, concedo minorem: realiter gradualiter, nego minorem. Ad confirmationem, concessa maiore, distingo minorem: essentia creaturæ habentis, &c. esset existere, quando esset translata ad gradum actualitatis, concedo minorem: absolutè, nego minorem, & consequentiam. Igitur semper datur longa disparitas; quia illa creatura haberet per essentiam non existere absolute; creatura verò existens per essentiam, solùm habet per essentiam existere, quando contingenter, & á libito Dei est translata ad gradum. Unde quando non existeret actu; solùm haberet essen-

tiam

tiam possibilem, quæ licet sit realiter idem cum existentiâ actuali, est tamen ab illâ gradualiter distincta.

149 Urgebis. Per te essentia possibilis est realiter existentia actualis; sed creatura quando non existeret haberet essentiam possibililem, etiam per te; ergo haberet existentiam actualem, adeoque actualiter existeret, quando non existeret actualiter. Respondeo ad urg. disting. maiorem: essentia possibilis est realiter existentia actualis, sed gradualiter ab ipsâ distincta, concedo maiorem: aliter, nego maiorem; & concessa minore, nego consequentiam. Licèt enim essentia possibilis sit existentia actualis, est tamen diversa in essendo, & ideo non sequitur, quòd existat actu, quando tantùm est possibilis, seu antequam transeat ad gradum actualitatis. Ex dictis

150 Deduces primò, essentiam actualem non distingui realiter physicè ab actuali existentiâ. Fundamentum est; quia id per quod res ponitur extra suas causas, est existentia actualis; sed res ponitur extra suas causas per actualem essentiam: ergo essentia actualis, & actualis existentia carent reali distinctione. Maior est doctrina Philosophi 9. Metaph. textu 11. ad illa verba: *Est autem actu existere rem, non ita, sicut diximus in potentiâ.* Minor etiam liquet; quia aliter poneretur res extra suas causas per aliquod additum suæ essentiæ, sicque nulla esset res per se existens, quod non est dicendum.

Aristoteles.

151 Nec obstat primò id, quod ex D. Thoma docet Mag Blasius, nempe, quòd creatura tunc non esset multiplicabilis; nam licet existentia sit physicè

Blasius.

cè suum esse, tamen non est suum esse gradualiter, quod sufficit ad multiplicationem. Deinde existentia indistincta realiter physicè ab essentiâ nihil facit ad multiplicationem; cùm possint à Deo produci consimiles entitates, quorum quælibet esset semper indistincta à suâ existentiâ actuali. Nec obstat secundò id, quod docet idem Blasius, scilicet humanitatem Christi non posse tunc à Verbo assumi, quia esset completa; non obstat, inquam, nam solùm esset completa in esse individui existentiæ in actu, non in esse individui subsistentiæ actualîs; hæc enim, utpote effectus formalis secundarius potuit impediri à Verbo. Sed de hac, sequenti quæstione. Nec obstat tertiò, quòd vera sit semper ista propositio, *homo est rationalis*; non semper ista, *homo est existens*, quia prima ex institutione terminorum abstrahit à tempore; non secunda, quæ determinatè significat tempus præsens. Unde si tales propositiones respiciant æqualiter idem tempus, essent tunc æqualiter veræ; quod sine vestigio absurdi concedit citatus Muniessa. Videatur ipse ibidem sup. à n. suo 20. usque ad 22. *Muniessa.*

152 Deduces secundò existentiam actualem nec gradualiter distingui ab actuali essentiâ sumptâ reduplicativè. Fundamentum sumitur ex dictis n. 111. si verò essentia actualis specificativè sumatur, gradualiter distinguitur ab actuali existentiâ. Fundamentum est; quia essentia in actu posita non amittit propriam rationem essentiæ; sed essentia sub conceptu proprio essentiæ distinguitur gradualiter ab existentia actuali: ergo si essentia actualis specificativè sumatur gradualiter, distinguitur ab actuali existentiâ. Vide sup. dicta n. 119. Deduces tertiò,

ex-

existentiam possibilem nec realiter physicè, nec realiter gradualiter distingui ab essentiâ possibili. Fundamentum est; quia hôc modô sunt synonima; cùm nihil nomine existentiæ intelligatur, quod non veniat nomine essentiæ; sicut de existentiâ actuali comparatâ cum actuali essentiâ dixi citato loco.

153 Deduces quartò, & ultimò essentiam actualem differre tantùm realiter gradualiter ab essentia possibili. Fundamentum est; quia essentia actualis nihil aliud est quàm actualis existentia; sed existentia actualis solùm differt gradualiter ab essentia possibili, ut constat ex dictis: ergo essentia actualis tantùm realiter gradualiter differt ab essentia possibili. Igitur licèt essentia possibilis negationem actualitatis secum afferat, cùm tamen non ratione sui differat ab actualitate, sed solùm ratione graduum translationis, ideo talis distinctio est tantùm secundùm diversos gradus essendi.

QUÆSTIO II.

Utrùm inter naturam substantialem creatam, & subsistentiam detur Distinctio Gradualis?

Bacconius. 154 RESolutio est affirmativa, & expressa Resoluti in 3. dist 11. q. 1. art. 1. §. 3. ℣. *Sed quia* ad illa verba: *Dico de subsistere, quòd non dicit alietatem essentiæ à naturâ, sed alietatem essendi ejusdem essentiæ.* Hanc firmiter sustinent, & defendunt Mag. Aymus in Metaph. p. 2. dist. 1. q. 1. artic. 2. ℣. *Resolutio* 4. Mag. Zagaglia tom. 2. tract. 1. disp. 3. sectione 2. n. 19. & tom. 4. tract. 2. disp. 4. sect. 1. num. 36. sed præcipuè tom. 5. tract. 1.

Aymus.
Zagaglia.

disp.

disp. 1. sect. 7. n. 72. Mag. Garcia in Metaph. dist. 2. q. 2. art. 5. §. 4. n. 581. Et cæteri discipuli ejusdem Doctoris. Sed antequam resolutionem probem.

155 Prænoto primò substantiam dupliciter sumi posse latè scilicet, vel strictè. Latè sumitur pro essentiâ rei, vel existentis per se, vel in alio. Strictè, & prædicamentaliter pro eo, quod est in se, & est contradistinctum ab accidente, quod est in alio. De substantiâ strictè sumptâ ago in præsenti, & teneo, quòd sit aliquid positivum, in quo negatio essendi in alio fundatur, juxta illud Doctoris in 3. dist. 1. q. 1. art. 2. §. 1. ℣. *Contra: Omnis negatio præsupponit affirmationem causam sui.* *Baconius.*

156 Prænoto secundò naturam substantialem habere duos effectus formales, quorum primarius est per se existere extra subjectum inhæsionis; & natura secundùm hunc effectum considerata indifferens adhuc manet ad dependentiam vel independentiam à supposito alieno. Secundarius effectus formalis ejusdem naturæ est subsistere (subsistentia in sententia Resoluti nullum habet effectum formalem; sed potiùs est effectus formalis naturæ) & per hunc effectum manet natura ultimò completa in lineâ perseitatis, non indigens jam alio complemento. Primarius effectus est inseparabilis à natura substantiali; secundarius verò potest impediri à Divinâ Omnipotentiâ. Igitur (nota) natura considerata secundùm primarium effectum est completa solùm entitativè, non gradualiter; hoc enim habet per subsistentiam. Hinc

157 Prænoto tertiò subsistentiam, suppositum, & personam inter se discriminari. Subsistentia est complementum naturæ substantialis gradualiter, per quod

quod solùm redditur ipsa natura incommunicabilis alieno supposito. Suppositum est concretum substantiale coalescens ex naturâ, & subsistentiâ. Persona est concretum resultans ex subsistentiâ, & naturâ necessariò rationali, juxta definitionem Boetii bene receptam à Philosophis, & Theologis.

158 Prænoto quartò essentiam, existentiam, & subsistentiam habere idem esse; non tamen esse in eisdem gradibus; quia essentia est in primo gradu, nempe in gradu possibili, existentia est in secundo gradu, scilicet in gradu actualitatis; subsistentia est in tertio gradu, videlicet in gradu formali subsistendi. Unde idemmet esse essentiæ est esse existentiæ, & subsistentiæ à gradu in gradum, & in gradum translatum. Totum hoc explicat Doctor in 3. dist. 10. q. 1. art. 7. ℣. *Ad solutionem* clarissimis verbis. *Ista tria se habent secundùm ordinem*; *hæc essentia in potentia*; *hæc essentia producta in actu ens*; *hæc essentia per se subsistens*. Docet, quòd essentia in omnibus est eadem, solâ diversitate graduum. His ita prænotatis,

Bacconius.

159 Probo resolutionem, & primò sic. Natura substantialis creata, ut fiat subsistens, transit ab uno gradu essendi ad alterum gradum essendi: ergo natura substantialis creata ut subsistens differt à se ipsâ ut existente gradualiter. Probo antecedens. Natura substantialis creata fit actu subsistens formaliter; cùm solùm esset talis in potentiâ: ergo transit ab uno gradu essendi ad alterum gradum essendi. Amplificatur hæc ratio ex supra dictis num. 112.

160 Probo secundò eamdem resolutionem sic. Subsistentia est effectus formalis (licèt secundarius) na-

naturæ ſubſtantialis exiſtentis; ſed effectus formalis ſolùm gradualiter diſtinguitur à ſua cauſa formali: ergo. Probo maiorem. Subſiſtentia fluit à naturâ ſubſtantiali exiſtente non minus ac eſſe album ab albedine in actu poſitâ; ſed eſſe album eſt effectus formalis albedinis: ergo ſubſiſtentia eſt effectus formalis naturæ. Probo etiam minorem. In eo, etiam per adverſarios, diſtinguitur cauſa formalis ab efficiente, quòd formalis non agat per cauſalitatem diſtinctam, ſicut efficiens: ergo effectus formalis non realiter phyſicè, ſed tantùm realiter gradualiter diſtinguitur à ſuâ cauſa formali, adeoque inter naturam ſubſtantialem creatam, & ſubſiſtentiam datur diſtinctio gradualis.

Proponuntur objectiones, & diſſolvuntur.

161 NOſtræ reſolutioni opponuntur AA. omnes extra noſtram Scholam. Alii dicentes, ſubſiſtentiam creatam diſtingui realiter entitativè à naturâ ſubſtantiali. Ita Herrera, & *Herrera.* Pantuſa, quos citat, & ſequitur Mag. Bona-Spes *Pontuſa.* p. 1. Phyſicæ tract. 1. diſp. 4. dub. 3. Idem ſentiunt *Hurtadus.* Hurtadus diſp. 11. Metaph. ſectione 5. Arriag. diſp. *Arriaga.* 5. Metaph. ſectione 5. & eſt in re ſententia Caieta- *Caietanus.* ni, Bañes, Albertini, & aliorum apud citatum Bo- *Bañes.* *Albertinus.* nam-Spem. Alii aſſerentes ſubſiſtentiam diſtingui *Raguſa.* à naturâ ſubſtantiali tantùm modaliter. Ita Ragu- *Theoph. Rain.* ſa 3. p. ad q 4. art. 4. diſp. 57. Theoph. Rainaud. in *Suar. Luſ.* ſua Theol. naturali diſt 3. Rub. 1. Phyſicorum tract. 1. q. 4. & cæteri quos citat & ſequitur Suarius Luſitanus in Metaph. tract. 1. diſp. 2. §. 4. n. 120. Alii tandem ſentientes ſubſiſtentiam ſolùm virtualiter di-

distingui à naturâ, pro qua sententia referri possunt Carvajalus 1. sententiarum cap. 50. Wandingus de Incarnatione d. 4. dub. 2. §. 6. n. 47. & cæteri omnes, qui asserunt mysterium Incarnationis defendi posse cum sola distinctione rationis inter naturam, & subsistentiam. Pro his omnibus, & in primis pro primâ sententiâ

Carvajalus. Vvadingus.

162 Objicies primò. Distinctio, quæ reperitur inter naturam creatam, & subsistentiam, est distinctio entitativa; sed distinctio entitativa non est distinctio gradualis: ergo inter naturam creatam, & subsistentiam non datur distinctio gradualis. Probas maiorem. Illa est distinctio entitativa, quæ reperitur inter ea; quorum unum potest esse sine alio; sed natura creata potest esse sine subsistentiâ propriâ: ergo. Maior videtur certa. Probas minorem. In humanitate Christi est natura creata sine subsistentiâ propriâ: ergo. Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem distingo maiorem: illa est distinctio entitativa, quæ reperitur inter ea, quorum unum potest esse sine alio entitativè; concedo maiorem: sine alio gradualiter, nego maiorem. Cùm ergo natura creata Christi Domini sit tantùm sine subsistentia gradualiter, ideo non entitativè, sed solùm gradualiter, distinguitur à propriâ subsistentiâ.

163 Instabis. Personalitas Verbi assumpsit humanitatem entitativè; sed non assumpsit subsistentiam entitativè: ergo non solùm gradualiter, sed entitativè distinguitur natura creata à propriâ subsistentiâ. Respondeo ad instantiam, concessâ maiore, disting. minorem: sed non assumpsit subsistentiam entitativè in essendo, concedo: in essentia; nego. Aliis terminis: si ly *entitativè* cadat supra

en-

entitatem gradûs, concedo minorem: si cadat supra entitatem essentiæ, nego minorem. Gradus subsistentiæ, cùm foret possibilis, in hoc sensu, haberet rationem entitatis (ens enim definitur, *id quod est vel potest esse*) quam tamen Verbum non assumpsit; quia quando Verbum assumpsit naturam, adhuc ista non erat in tali gradu. Sed quantùmvis dici possit, quòd Verbum assumpsit entitatem essentiæ ipsius subsistentiæ, quatenus assumpsit naturam; non inde est concedendum absolutè, Verbum assumpsisse subsistentiam entitativè, propter æquivocationem terminorum; sicut non est absolutè concedendum, Verbum assumpsisse formam subsistentiæ, sed solùm naturam, quæ est forma respectu illius. Igitur, quòd essentia possit esse sine subsistentiâ propriâ, hoc non est propter diversitatem realem entitativam earum ad invicem, sed quoniam cum identitate entitativa earum stat distinctio secundùm realitates graduum.

164 Replicabis. Ex solutione sequitur, quòd verificentur de eâdem entitate duæ propositiones contradictoriæ; sed hoc stare nequit. ergo neque solutio. Probas sequelam maioris. Sequitur, quòd verificentur hæ propositiones: *Natura fuit assumpta à Verbo*: *Natura non fuit assumpta à Verbo*; sed hæ propositiones sunt contradictoriæ: ergo. Maior quoad primam partem est certa, & est de fide. Probas quoad secundam partem, seu quoad secundam propositionem. Sequitur ista: *Subsistentia non fuit assumpta à Verbo*; sed subsistentia, ex dictis, est natura: ergo sequitur: *Natura non fuit assumpta à Verbo.* Respondeo ad replicam negando sequelam maioris; ad cujus probationem, con-

 cessâ

cessâ maiore quoad primam propositionem, nego quod sequatur secunda; ad cujus probationem, concessâ maiore, distingo minorem: subsistentia est realiter natura in essentiâ, concedo minorem: in essendo, nego minorem, & consequentiam. Contradictoria ergo non verificantur de eodem secundùm idem; nam natura, & subsistentia, licèt sint idem in essentiâ, non sunt idem in essendo; quia gradus unius non est gradus alterius, & hoc sufficit ad tolendam contradictionem; nam si ad hoc sufficiens est distinctio virtualis maxima, quia facit quòd munus unius non sit munus alterius, à fortiori sufficiens erit gradualis, quæ facit, quòd unum non sit aliud realiter in essendo.

165 Urgebis. Si natura, & subsistentia essent idem in essentiâ, non posset subsistentia separari à naturâ; sed potuit, ut liquet in mysterio Incarnationis: ergo. Probas maiorem. Quæ sunt eadem in essentiâ non possunt separari nisi per intellectum; quod probari potest mile exemplis: ergo. Respondeo ad urg. negando maiorem: ad cujus probationem distingo antecedens: quæ sunt eadem in essentiâ non possunt separari nisi per intellectum, si careant ordine ex natura rei, concedo antecedens: si non careant tali ordine, nego antecedens. Cùm ergo inter naturam, & subsistentiam detur ordo essentialis ex natura rei, ex quo subsistentia est effectus formalis naturæ in actu positæ; non obstat identitas realis inter naturam, & subsistentiam ad hoc, ut possit natura à subsistentia separari; & sic potuit subsistentia Verbi suspendere hunc effectum formalem; cùm, in illo priori, natura in actu posset præsuppositari à sufficienti præsuppositivo.

De-

166 Declaratur hoc in essentiâ Divinâ, quæ licèt sit realiter idem cum subsistentiâ Filii, tamen in illâ prioritate originis præsuppositatur in Patre per illius subsistentiam, & non per subsistentiam Filii: ergo si hoc stare potest cum sola prioritate originis, multò magis cum prioritate ex natura rei, qualis reperitur in naturâ erga subsistentiam creatam, & ideo, non obstante identitate reali naturæ cum subsistentiâ, potuit natura creata præsuppositari per subsistentiam Verbi, quin per propriam subsistentiam suppositetur; quia etsi, attendendo ad potentiam naturalem naturæ, ista solùm sit præsuppositabilis à subsistentiâ humanâ; attendendo tamen ad potentiam, quam habet obedientialem (est hæc prior potentiâ naturali; cùm dicat ordinem ad primum agens, nempe Deum) potuit in illo priori præsuppositari à Persona Verbi.

167 Objicies secundò. Distinctio gradualis non potest dari inter causam, & effectum formalem; sed natura est causa, & subsistentia illius effectus formalis: ergo. Probas maiorem. Distinctio gradualis compatitur cum identitate physica: sed hæc est impossibilis inter causam, & effectum formalem: ergo etiam illa. Maior est certa in Schol. Bacconica. Probas minorem. Impossibile est, quòd idem sit causa sui ipsius, juxta dicta sectione præcedenti n. 50. ergo impossibilis est identitas physica inter causam, & effectum formalem. Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem, concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem distingo antecedens: impossibile est, quod idem sit causa sui ipsius quantùm ad esse, concedo antecedens: quantùm ad firmius esse,

 nego

nego antecedens. Et per hoc patet ad illa, quæ diximus præcedenti lectione loco citato. Natura ergo non est causa sui ipsius quantùm ad esse, licèt sit causa subsistentiæ, cujus esse est esse naturæ, quia solùm causat subsistentiam quantùm ad firmius esse; & ideo distinguitur à subsistentia solùm secundùm gradum.

168 Instabis. Non potest natura intelligi causans nisi sit subsistens: ergo quoquô pactó sumatur natura non potest causare subsistentiam. Probas antecedens. Non potest natura causare, nisi habeat conditiones necessarias ad causandum; sed una est subsistentia: ergo. Respondeo ad instantiam disting. antecedens: non potest natura intelligi causans efficienter, nisi sit subsistens, concedo antecedens: causans formaliter, nego antecedens; ad cujus probationem, concessâ maiore, distingo minorem: sed una est subsistentia, ad causandum efficienter, concedo minorem: ad causandum formalirer, nego minorem. Igitur subsistentia est effectus formalis naturæ, & ideo non intelligitur natura subsistens antequam causet subsistentiam; quia causa formalis sub præcisâ ratione causæ formalis non dicit effectum formalem, nisi secundùm quamdam virtualem continentiam.

169 Objicies tertiò. Non potest natura distingui gradualiter à subsistentia, quin distinguatur entitativè; sed entitativè non: ergo neque gradualiter. Probas maiorem. Non potest natura distingui gradualiter à subsistentia, quin subsistentia addat gradum supra naturam; sed subsistentia non potest addere gradum supra naturam, quin natura distinguatur entitativé à subsistentia: ergo non potest, &c.

Maior

Maior] est certa. Probas minorem. Subsistentia addit gradum in re, & extra intellectum supra naturam; sed non potest addere gradum in re, & extra intellectum sine distinctione in re entitativâ; ergo subsistentia non potest addere gradum supra naturam, quin natura distinguatur entitativè à subsistentiâ. Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem, concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem, concessa maiore, nego minorem; quia licèt subsistentia addat aliquid supra essentiam in re, non addit novam essentiam, sed solùm novum gradum, ut fatetur Resolutus in 3. dist. 10. q. 1. art. 7. ℣. *Per hoc* in fine: *Et ita revertitur principale propositum, quòd esse non addit rem super essentiam, imò nec perfectionem, sed gradum essendi solùm.* *Bacconius.*

170 Instabis. Semel quòd albedini per intentionem addatur novus gradus in re, & extra intellectum, additur talis gradus etiam secundùm rem novam: ergo idem dicendum de gradu subsistentiæ addito naturæ seu essentiæ. Respondeo ad instantiam concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est; quia gradus additus albedini non est gradus per effectum formalem causationis, sed solùm per intentionem; at verò gradus subsistentiæ additus essentiæ est per effectum formalem essentiæ, qui quidem nec dicit aliam rem, nec aliam perfectionem, ut patet in ipsamet albedine, quando in subjecto dat esse album.

171 Objicies quartò. In illis in quibus datur ordo naturæ, pro priori in quo unum est, aliud non est; sed in natura, & subsistentia datur ordo naturæ: ergo pro priori in quo natura est, subsistentia

non eſt , & ſic diſtinguitur entitativè ab illa. Reſpondeo ad objectionem diſting. maiorem : In illis in quibus datur ordo naturæ, pro priori in quo unum eſt, aliud non eſt gradualiter , concedo maiorem: entitativè , nego maiorem. Deinde conceſſa minore, diſtingo conſequens : pro priori in quo natura eſt, ſubſiſtentia non eſt , gradualiter , concedo conſequentiam : entitative , nego conſequentiam: quia entitas ſubſiſtentiæ eſt entitas naturæ translata à gradu ad gradum ; ſicut entitas hominis in actu eſt eadem entitas hominis , quæ erat in potentia , licèt jam translata ad talem gradum.

172 Objicies quintò. Subſiſtentia addit maiorem perfectionem ſupra naturam : ergo diſtinguitur entitativè à natura. Probas antecedens. Addit novum gradum : ergo addit maiorem perfectionem. Antecedens eſt certum in hac ſententiâ. Probas conſequentiam. Talis gradus additus, eſt actualis reſpectu naturæ, & gradus naturæ eſt potentialis reſpéctu ſubſiſtentiæ ; ſed gradus eſſendi actualis, eſt perfectior gradu eſſendi potentiali : ergo ſubſiſtentia addens ſupra naturam novum gradum , addit maiorem perfectionem. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens ; ad cujus probationem, conceſſo antecedente , nego conſequentiam ; ad cujus probationem, conceſſâ maiore, diſting. minorem : Gradus eſſendi actualis eſt perfectior gradu eſſendi potentiali , loquendo de primo gradu actuali , qui correſpondet individuo naturæ in potentiâ , concedo minorem : loquendo de gradu actuali , qui correſpondet individuo ſubſiſtentiæ in potentiâ , nego minorem , & conſequentiam.

173 Explico diſtinctionem , & dico , quòd gradus

dus essendi actualis est perfectior gradu essendi potentiali, loquendo de primo gradu actuali, qui correspondet individuo naturæ in potentiâ, v.g. res ut actu producta, est perfectior se ipsâ (non in essentiâ, sed in essendo) ut in potentiâ materiæ; quia sic vadit secundùm ordinem generationis, qui semper est de imperfecto ad perfectum. Loquendo autem de gradu actuali, qui correspondet individuo subsistentiæ in potentiâ, tunc gradus essendi actualis non est perfectior gradu essendi potentiali; quia esse hoc modo actu, est effectus formalis essentiæ, qui non potest esse perfectior suâ causâ; cùm procedat ab illa secundùm ordinem perfectionis, secundùm quem, id est perfectius, quod est prius, & hoc propter formalem continentiam posterioris. Hæc distinctio est doctrina expressa nostri Doctoris in 3. dist. 10. q. 1. art. 7. ℣. *Quando ergo* dicentis: *Quòd gradus actualis est perfectior potentiali, verùm est intelligendo hoc de primo gradu actuali, qui correspondet individuo in potentia.* Et paulo infra: *Si verò illud dictum intelligatur de gradu, qui correspondet individuo subsistentiæ in potentia, falsum est.* *Bacconius.*

174 Instabis. Gradus actualis, qui correspondet individuo subsistentiæ in potentiâ, aliquid addit intra ambitum entis; sed non potest addere aliquid intra ambitum entis, quin addat aliquam perfectionem: ergo aliquam perfectionem addit. Respondeo ad instantiam, concessâ maiore, negando minorem, & consequentiam. Quia licèt addatur gradus entis, non sequitur, quòd addatur ens directè, juxta dicta n. 143. & ideo non additur nova perfectio; hæc enim non additur per actum formalem, sed solùm per gradum essendi, qui acquiritur per addi-

additionem in intentione formæ, vel ad plurimum in translatione ipsius de potentia ad actum.

175 Objicies sextò. Quod est accidens distinguitur entitativè ab illo, quod est substantia; sed subsistentia est accidens, deinde natura est substantia: ergo subsistentia non tantùm gradualiter, sed entitativè distinguitur à naturâ. Maior est certa. Probas minorem quoad primam partem, in qua solùm est difficultas. Accidens est illud, quod potest esse, & abesse absque subjecti corruptione; sed talis conditionis est subsistentia: ergo. Respondeo ad objectionem concessâ maiore, negando minorem quoad primam partem; ad cujus probationem distingo minorem: accidens est illud, quod potest esse, & abesse absque subjecti corruptione, quoad entitatem, concedo maiorem: quoad gradum, nego maiorem. Deinde, applicatâ distinctione minori, nego consequentiam. Subsistentia non est accidens; quia est physicè, & realiter natura, quæ est substantia. Quod autem possit separari à naturâ solùm probat distinctionem secundùm gradus diversos; & ideo potest abesse ablatione unius gradûs essendi, remanente tamen naturâ sub alio gradu essendi.

176 Instabis. Si substantia posset componi ex pluralitate graduum, posset suscipere magis, & minus; sed hoc est contra rationem substantiæ: ergo. Respondeo ad instantiam distinguendo maiorem: si substantia posset componi ex pluralitate graduum, posset suscipere magis, & minus secundùm gradus translationis, concedo maiorem: secundùm gradus materiales in ratione individuali, nego maiorem. Deinde, applicatâ distinctione minori, nego consequentiam. Non repugnat, quòd substantia suscipiat ma-

magis, & minus sumpta secundùm gradus translationis propter ea, quæ infra dicuntur n. 187.

177 Objicies septimò pro secundâ sententiâ. Distinctio, quæ datur inter naturam, & subsistentiam est modalis; sed distinctio modalis non est gradualis: ergo natura non distinguitur gradualiter à subsistentiâ. Probas maiorem. Subsistentia est modus respectu naturæ: ergo. Probas antecedens. Subsistentia determinat naturam indifferentem ad subsistendum; sed hoc est de ratione modi: ergo subsistentia est modus respectu naturæ. Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem nego antecedens; ad cujus probationem nego maiorem; quia natura substantialis completa ex se habet quòd sit determinata ad subsistendum; eo modo quo forma ex propriâ ratione est determinata ad informandum. Unde sicut non datur modus distinctus à forma, ut informet, ita non datur modus distinctus à natura, ut ista subsistat: subsistit ergo natura per se ipsam quatenus subsistit per subsistentiam, quæ est indistincta physicè ab ipsa natura substantiali completa, licet sit ab eadem distincta gradualiter.

178 Instabis. Licet natnra substantialis ultimò completa habeat ex se quòd sit determinata ad subsistendum, quatenus dicit jam ipsam subsistentiam; tamen si natura sumatur quatenus dicit primum tantùm perseitatis gradum, certò est indifferens ad subsistendum per subsistentiam propriam vel alienam: ergo subsistentia propria est modus sic determinans ipsam naturam ad subsistendum. Respondeo ad instantiam concesso antecedente, negando consequentiam; quia modus neque per potentiam obedientialem

dientialem poteſt modificare aliam rem ab ea cujus eſt modus; jam verò ſubſiſtentia creata, licet per potentiam naturalem id habere non poſſit, poteſt tamen per obedientialem potentiam, & ideo non eſt modus reſpectu naturæ creatæ.

179 Objicies octavò. Subſiſtentia non poteſt conſervari ſine naturâ quam terminat; ſed hoc eſt de ratione modi: ergo ſubſiſtentia diſtinguitur modaliter à naturâ. Reſpondeo ad objectionem conceſſâ maiore, diſtinguendo minorem: ſed hoc eſt de ratione modi, ſolùm, nego minorem: etiam, concedo minorem, & nego conſequentiam. Verum eſt, quòd ſubſiſtentia per nullam potentiam poſſit conſervari ſeparata à naturâ, quam terminat; at hoc non convenit tantùm modis; nam etiam effectus formalis conſervari non poteſt ſine ſua cauſâ formali, & tamen, univerſaliter loquendo, effectus formalis non eſt modus. Igitur licet modus non poſſit conſervari ſeparatus à re, non ſequitur quòd ſit modus omne illud, quod ſeparatum conſervari non poteſt.

180 Objicies nonò pro tertià ſententiâ. Myſterium Incarnationis ſalvatur ſolâ diſtinctione virtuali inter naturam, & ſubſiſtentiam: ergo ſola hæc diſtinctio admitti debet inter utramque. Conſequentia liquet; quia non ſunt multiplicandæ diſtinctiones abſque neceſſitate. Probas antecedens. Myſterium Incarnationis ſalvatur illâ diſtinctione, qua intercedente unum perire poteſt, permanente alio; ſed intercedente diſtinctione virtuali inter naturam, & ſubſiſtentiam poteſt perire ſubſiſtentiâ, eſſentiâ permanente: ergo. Maior eſt certa. Probas minorem. Intercedente diſtinctione virtuali inter

ter essentiam Divinam, & actus liberos Dei, possunt perire actus Dei liberi, permanente essentiâ Divina: ergo etiam, &c. Respondeo ab objectionem negando antecedens; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem dico, actus Dei liberos solùm posse desinere quoad denominationem; & proinde non sufficere distinctionem virtualem ut unum possit absolutè deficere, permanente altero; quia quæ virtualiter tantùm distinguuntur, non possunt separari; ideoque solà distinctione virtuali inter naturam, & subsistentiam non posset assumi naturà sine subsistentià, nec defendi Incarnationis Mysterium.

181 Objicies decimò. Intercedente solà distinctione virtuali inter Verbum, & naturam Divinam salvari potest, quòd Verbum assumpsisset naturam humanam immediatè, non sic natura Divina: ergo admissà sola hac distinctione inter naturam, & subsistentiam defendi potest, quòd natura fuisset assumpta non ita subsistentia. Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est; quia distinctio virtualis taliter salvat contradictoria, quod supponat mutuam existentiam extremorum, sicque existente simul Verbo, & naturà Divinà, Verbum potuit assumere naturam creatam, quin istam assumeret natura Divina; at verò cùm natura assumpta non esset simul existens cum subsistentiá propria, non potest distinctio virtualis facere quód natura creata sit assumpta, subsistentía non. Unde videtur supponi in consequenti id, quod est contra Concilia, & SS. PP. scilicet naturam creatam, retenta propriâ subsistentiâ, fuisse à Verbo assumptam.

182 Objicies undecimò. Inter naturam Divinam, & Divinas ſubſiſtentias non datur diſtinctio gradualis, ſed virtualis: ergo etiam inter naturam creatam, & creatam ſubſiſtentiam. Reſpondeo ad objectionem conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Diſcrimen eſt; quia natura in Divinis nullo pacto poteſt concipi cum fundamento ſub ratione potentiæ totalis, ideoque inter naturam Divinam, & Divinas ſubſiſtentias tantùm admittitur illa diſtinctio, quæ totalem potentiam excludit, & proinde eſt ſufficiens ad ſalvanda contradictoria phyſica, qualis eſt diſtinctio virtualis; vel illa, quæ ſalvat contradictoria intentionalia, qualis eſt formalis Bacconica; at verò natura in creatis eſt in potentia totali ad ſubſiſtendum, & ideo diſtinguitur gradualiter, non virtualiter à ſubſiſtentiâ propriâ; quia potentia, & actus totales ſolùm gradualiter diſtinguuntur, ut conſtat ex fundamentis reſolutionis.

183 Objicies duodecimò. Subſiſtentia eſt effectus formalis naturæ ſubſtantialis; ſed effectus formalis non poteſt diſtingui gradualiter, ſed ad plurimum per rationem, à ſuâ cauſâ formali: ergo. Maior eſt certa in Schola Reſoluti. Probas minorem. Effectus formalis non poteſt ſeparari à ſua cauſa formali; ſed quod non poteſt ſeparari non poteſt diſtingui gradualiter: ergo. Reſpondeo ad objectionem conceſſa maiore, diſtinguendo minorem: effectus formalis non poteſt diſtingui gradualiter à ſua cauſa formali, ſi ſit effectus formalis primarius, concedo minorem: ſi ſit effectus formalis ſecundarius, nego minorem, & conſequentiam. Ad probationem minoris diſtingo minorem eodem modo,

do, & concessâ minore, distingo consequens modo dicto.

184 Natura substantialis habet duos effectus formales, ut jam sup. dixi n. 156. Primarius effectus est substantiare, & per se existere extra subjectum inhæsionis; secundarius verò est per se subsistere, & esse independens ab alieno supposito. Primarius non potest separari à naturâ; quia est actus proprius speciei; secundarius potest à natura separari, quia solùm est actus naturæ existentis. Liquet exemplo quantitatis, cujus primarius effectus, nempe extentio in ordine ad se, non potest separari ab ipsâ quantitate, cùm támen separari possit secundarius nempe extensio in ordine ad locum. Ex dictis

185 Deduces primò, subsistentiam non esse effectum agentis, sicut est natura in actu posita. Unde licèt tam actualitas naturæ, quàm subsistentiæ dicantur actus formales, actualitas tamen naturæ, cùm respiciat agens, non acquiritur nisi per operationes agentis, qui transfert ipsam naturam de statu potentiæ ad actualitatem; actualitas verò subsistentiæ, cùm respiciat naturam existentem tanquam suam causam formalem à qua fluit, nisi impediatur, & præveniatur à præsuppositativo sufficienti, ideo solùm gradualiter distinguitur ab ipsamet naturâ actu existente.

186 Deduces secundò, subsistentiam non posse dici modum respectu naturæ; cùm ipsa subsistentia habeat rationem sustentificantis, qua caret modus, qui potius innititur naturæ, & semper de se est aliquid diminutum. Deduces tertiò, subsistentiam non esse accidens respectu naturæ substantialis; cùm sit prior omnibus actibus accidentalibus, qui consequuntur

quuntur ad suppositum in suo esse constitutum.

187 Deduces quartò, nullam substantiam sumptam in ratione individuali posse suscipere magis, & minus secundùm gradus materiales; quia si aliqua substantia ita susciperet magis, & minus, posset ad formam substantialem dari motus, & paulatim posset induci, quod est contra Philosophum docentem, substantiam induci in instanti. Deduces quintò, substantiam posse suscipere magis, & minus secundùm gradus translationis, & effectus formales causationis; quia etsi gradus actualitatis, & subsistentiæ formalis non addant novam entitatem supra essentiam, generans tamen per existentiam largitur perfectionem in esse; cùm ordo generationis sit de imperfecto ad perfectum. Per subsistentiam verò licèt nihil perfectionis addatur, semper illud idem esse formaliter causativè completur. Et satis de hac intricabili, & aliquibus imperceptibili distinctione, quam ad uberiorem nostræ doctrinæ intelligentiam disputavi, licet lassitudine, & labore.

SEC-

SECTIO III.

De Distinctione Modali.

QUÆSTIO I.

Utrùm Distinctio Modalis sit propriè Distinctio Realis?

188 RESolutio est affirmativa, & deducta ex Doctore quodl. 3. q. 6. artic. 4. §. 4. Quem sequitur Mag. Aymus in Metaph. p. 1. dist. 1. q. unicâ artic. 1. ℣. *Est imaginandum.* Tenent resolutionem Mastrius disp. 6. Metaph. q 10. n. 200. & Poncius in Metaph. disp. 4. q. 1. n. 10. ℣. *Deinde* sequentes Scotum in 3. quol. art. 1. & 2. dist. 1. q. 5. Idem docet Pasqualig. in Metaph. disp. 51. sect. 2. n. 6. & amplectitur utraque manu Hyacinthus Parra in Log. disp. 3. de Universal. n. 17. Antequam tamen resolutionem probem, prænoto, distinctionem propriè realem excludere tantùm identitatem realem, non verò realem unionem. Unde potest esse inter res realiter unitas, verbi gratia, inter materiam, & formam, quanvis divisio vel separatio non tantùm neget identitatem, verùm & realem extremorum conjunctionem, qualis est ea, quæ reperitur inter duo supposita diversa. Hoc prænotato, *Baccon. Aymus. Mastrius. Poncius. Scotus. Pasqualig. Parra.*

189 Probo resolutionem hoc unico fundamento. Illa est propriè distinctio realis, cujus extrema sunt separata, aut separabilia, vel separatio mutua sit

ſit, vel non mutua ; atqui extrema diſtinctionis modalis ſunt ſeparata, aut ſeparabilia, vel ſeparatio mutua ſit, vel non mutua : ergo diſtinctio modalis eſt proprié diſtinctio realis. Maior eſt certa ; & conſtat ex ſup. dictis ſectione 1. quæſt. 3. Probo minorem. Extrema diſtinctionis modalis vel ſunt modus, & modus, vel modus, & res; atqui modus, & modus ſunt ſeparati; deinde modus, & res ſeparari poſſunt, ſaltem ſeparatione non mutuâ ; ergo extrema diſtinctionis modalis ſunt ſeparata, aut ſeparari poſſunt], vel ſeparatio mutua ſit, vel non mutua.

Proponuntur objectiones, & diſſolvuntur.

Amicus. *Guarinus.* *Serna.* *Suares.*

190 NOſtræ reſolutioni opponuntur Amicus tractatu de Diſtinct. q. 12. Guarinus in Log. diſp. 3. expenſ. 3. l. *E.* ℣. *Prima concluſio.* Serna in Log. diſp. 1. ſectione 4. de Diſtinct. art. 4. ℣. *Solet hîc dubitari.* Suares in Metaph. diſp. 7. ſect. 1. n. 16. & alii, pro quibus objicies primò. Diſtinctio, quæ datur inter extrema, quorum unum dicit intimam conjunctionem cum alio, non eſt propriè diſtinctio realis; atqui diſtinctio modalis datur inter extrema, quorum unum dicit intimam conjunctionem cum alio : ergo. Probas maiorem. Diſtinctio realis propriè ſolùm datur inter extrema, quæ ſunt ſeparata ſeparatione mutuâ ; atqui diſtinctio, quæ datur inter extrema, quorum unum dicit intimam conjunctionem cum alio, non eſt diſtinctio, quæ datur inter extrema, quæ ſunt ſeparata ſeparatione mutuâ : ergo diſtinctio, quæ datur inter extrema, quorum unum dicit intimam con-

junctionem

junctionem cum alio non est propriè distinctio realis.

191 Probas maiorem. Distinctio, quæ datur inter extrema, quæ sunt separata separatione mutuâ, differt ab illa, quæ reperitur inter extrema, quæ non sunt separata separatione mutuâ; atqui non differt, nisi in eo, quòd prima sit distinctio realis propriè, non verò secunda: ergo distinctio realis propriè solùm datur inter extrema, quæ sunt separata separatione mutuâ. Probas maiorem. Distinctio, quæ datur verbi gratia inter hominem, & leonem, differt ab illa, quæ reperitur inter hominem verbi gratia, & sessionem hominis sedentis; atqui prima datur inter extrema, quæ sunt separata separatione mutuâ, & secunda reperitur inter extrema, quæ sunt separata aut separabilia separatione non mutuâ: ergo.

192 Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem nego maiorem; ad cujus probationem distinguo maiorem: distinctio, quæ datur inter extrema, quæ sunt separata separatione mutuâ, differt ab illa, quæ reperitur inter extrema, quæ non sunt separata separatione mutuâ, in ratione distinctionis, nego maiorem: in ratione extremorum, subdistinguo; ita ut extrema non sint etiam res, nego maiorem: ita ut non sint tam rigorosè res, concedo maiorem. Deinde nego minorem, & consequentiam. Ad probationem maioris distinguo maiorem eodem modo, & concessa minore, distinguo consequens modo dicto.

193 Igitur, quòd separatio mutua sit, vel non mutua, non facit maiorem, aut minorem distinctionem realem, ut sup. dixi sect. 1. n. 77. Fateor, distinctionem

stinctionem inter extrema separata separatione mutuâ differre ab illa distinctione, quæ non reperitur inter extrema separata mutuâ separatione; sed hoc non provenit ex ratione distinctionis, bene quidem ex ratione extremorum: non ex ratione distinctionis; quia quemadmodum est verum dicere, quòd una entitas non sit alia entitas, eo quòd non habeat identitatem cum illa, ita verum est, quòd entitas non sit modus: provenit quidem ex ratione extremorum, eo quòd extrema distinctionis modalis non sint res seu entitates ita dictæ, sicut extrema distinctionis realis entitativæ; nam quatenus res est independens a modo; & modus, saltem quoad sui destructionem, est independens à realitate non est dubium, propriè dici res ipsa extrema distinctionis modalis. Itaque in ratione distinctionis realis tam verum est dicere, modum non esse rem, quám rem non esse modum; non ergo minus veritatis est, sessionem non esse sedentem, quàm hominem non esse leonem.

194 Instabis. Si modus haberet rationem rei sufficientis ad arguendum distinctionem realem propriè à sua realitate, posset Deus supplere dependentiam illam, quam dicit ab ipsa realitate; sed Deus non potest supplere illam dependentiam: ergo. Probas maiorem. Ideo inter res, quæ verè & propriè res dicuntur, datur propriè distinctio realis, quia illarum quælibet independet ab alia: ergo si modus haberet rationem rei sufficientis ad distinctionem realem propriè, posset Deus supplere dependentiam illam, quam modus dicit à sua realitate.

195 Respondeo ad instantiam negando sequelam maioris; ad cujus probationem distinguo antecedens:

cedens: ideo inter res, quæ verè, & propriè res dicuntur, datur propriè distinctio realis, quia illarum quælibet independet ab aliâ vel ad existendum, vel ad non existendum, concedo antecedens: quia illarum quælibet independet ab aliâ tantùm ad existendum, nego antecedens. Unde ratio sufficiens ad realem distinctionem, non est independentia ad essendum, vel existendum tantùm; sed etiam ad non existendum. Cum ergo modus non dependeat à realitate ad non existendum, idest, cùm possit destrui, non destructà realitate, ideo in illo reperitur ratio sufficiens ad terminandam realem distinctionem, etsi Deus non possit supplere dependentiam illam, quam dicit ipse modus à sua realitate, in ordine ad essendum, vel existendum.

196 Hinc, præcipua ratio cur modus existere nequit independenter à sua realitate, non est quia non sit res; nam multæ res, quæ verè, & rigorosè tales sunt, dicere possunt dependentiam ab aliis in ratione connexionis, taliter, quòd ipse Deus non possit supplere illorum indigentias, ut de actu vitali tenent multi respectu potentiæ vitalis, & de entitatibus, & rebus creatis tenent omnes respectu entitatis Increatæ. Non potest ergo modus existere independenter à sua realitate, quia dicit respectum essentialem ad rem, cujus est modus; repugnat autem respectus conservatus sine fundamento, cúm dicat habitudinem essentialem ad illud. Et hoc declarat Bacconius in 1. dist. 28. q. 2. art. 4. §. 2. ℣. *Ad quartum.* *Baccon.*

197 Deinde modus, quànvis non sit perfectè & rigorosè res in sensu explicando inf. n. 108. aliunde habet rationem rei perfectè, & rigorosè, cùm non

non sit non res, seu nihil: ergo est perfectè res, licet non tam perfectè quàm res, quæ apud omnes tales dicuntur absolutè. Patet hoc in Beata Virgine, quæ quànvis sit ita perfecta, & perfectissima inter omnes mulieres, ita ut nulla alia similis ei sit in perfectione, non inde Beata Virgo dicitur magis perfecta in ratione mulieris, idest, magis mulier, etsi longè distet à cæteris mulieribus in prærogativis, & donis: ita similiter (si magna licet comparare parvis) etsi res, quæ ita dicitur absolutè, sit aliunde perfectior omnibus modis, non est magis perfecté res in ratione rei, id est, non est magis res: adeoque ipsi modi habent rationem rei perfecté, proprié, & rigorosé; cùm illis conveniat signum adæquatum distinctionis propriè, & rigorosè realis.

198 Objicies secundò. Distinctio modalis etiam reperitur inter modum, & modum; sed distinctio, quæ reperitur inter modum, & modum, non est distinctio realis propriè: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Distinctio, quæ datur inter rem, & rem, est distinctio realis propriè: ergo distinctio, quæ reperitur inter modum, & modum, non est distinctio realis propriè. Antecedens est certum. Probas consequentiam. Distinctio, quæ datur inter modum, & modum, non est distinctio, quæ reperitur inter rem, & rem; sed ista est realis propriè: ergo illa non.

199 Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam; ad cujus probationem distinguo maiorem: distinctio, quæ datur inter modum, & modum, nõ est distinctio, quæ reperitur inter rem, & rem, si *res*, & *res* sumantur

prout

prout quælibet dicit existentiam independentem ab alterâ, concedo maiorem: si *res*, & *res* sumantur prout quælibet dicit non existentiam seu destructionem independentem ab alterâ, nego maiorem. Explico distinctionem. Res vel potest intelligi secundùm illam rationem independentiæ ab alia re, ad sui existentiam, & sic modus non est res, cum non possit existere independenter à re, cujus est modus. Vel res potest concipi secundùm rationem idependentiæ à re ad sui destructionem, vel non existentiam, & sic modus est res, cùm possit non existere, & destrui, existente, & non destructâ realitate. Dico ergo modum habere rationem propriam extremi distinctionîs realis, & ad hoc sufficere rationem rei obtinere hoc modo explicato. Imò addo, modos inter se comparatos esse absoluté independentes, etiam quoad existentiam; cùm unus non sit modus respectu alterius. Cur ergo non debent distingui distinctione reali propriè?

200 Instabis. Quanvis modus, & modus sint res, & res modo dicto, non inde sunt res, & res omni modo: ergo non habent quod requiritur ad extrema propria distinctionis realis. Antecedens liquet. Probas consequentiam. Extrema distinctionis realîs debent esse res, & res omni modo: ergo. Respondeo ad instantiam, concesso antecedente, negando consequentiam, ad cujus probationem nego antecedens; quia ut extrema habeant sufficientes rationes ad distinctionem realem terminandam propriè, sufficit, quòd unum possit deficere independenter ab altero, separatio namque, licèt non sit mutua, semper arguit realem distinctionem. Unde non est necesse, quòd extrema omni modo sint ex-

 trema

trema distinctionis realis proprié. Ultima ratio est; quia distinctio realis proprié potest dari inter duas res, inter duos modos, vel inter rem, & modum; quànvis autem res, & res non sint res, & modus; nec res, & modus sint modus, & modus; tamen tam inter rem, & rem, rem, & modum, modum, & modum reperitur signum adæquatum, & convertibile cum distinctione reali, quod consistit in separatione actuali, potentiali, aut proportionali: ergo quànvis modus, & modus non sint extrema distinctionis realis proprié, omni modo, non sequitur, quòd non sint extrema distinctionis realis proprié. Corroboratur hæc ratio à paritate extremorum distinctionis rigorosè modalis, quæ etiam non sunt omni modo extrema ipsius distinctionis.

201 Objicies tertiò. Distinctio, quæ datur inter fundamentum, & relationem, est modalis; sed non est realis propriè: ergo non omnis distinctio modalis est realis propriè. Probas maiorem. Illa distinctio est modalis, cujus saltem unum extremum est modus; sed relatio est modus: ergo distinctio, quæ datur inter fundamentum, & relationem est modalis. Probas primam minorem, in qua solùm est difficultas. Distinctio, quæ datur inter extrema, quæ non habent diversas existentias, non est realis propriè; sed distinctio, quæ datur inter fundamentum, & relationem, datur inter extrema, quæ non habent diversas existentias: ergo. Maior liquet. Probas minorem. Relatio non habet existentiam diversam ab existentiâ fundamenti: ergo distinctio, quæ datur inter fundamentum, & relationem, datur inter extrema, quæ non habent diversas existentias. Probas antecedens. Si relatio haberet existentiam diversam

versam ab existentia fundamenti, posset existere sine fundamento; sed hoc non: ergo neque illud, ex quo sequitur.

202 Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem, datâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem nego antecedens; ad cujus probationem nego maiorem; quia licèt relatio non possit existere sine fundamento, ideo est, quia dicit intimam conjunctionem cum illo, & hoc essentialiter, & ex conceptu suo; non verò, quia careat existentiâ propriâ. Vide Doctorem in 1. d. 28. q. 2. art. 3. & 4. Dixi sup. *data maiore*, quia omnes admittunt distinctionem realem inter materiam, & formam, & tamen multi dicunt, materiam non habere propriam existentiam. *Bacconius.*

203 Objicies quartò. Motus, actio, & passio differunt modaliter à suo subjecto; sed non distinguuntur realiter propriè: ergo distinctio modalis non est realis propriè. Maior est certa. Probas minorem. Implicat distinctio realis propriè cum reali identitate: sed inter motum, actionem, & passionem datur identitas realis cum subjecto: ergo. Maior patet. Probas minorem ex Aristotele 3. Physic. dicente: *Movere, & moveri sunt idem secundùm subjectum, & diversa secundùm definitionem*: sed movere, & moveri sunt agere, & pati: ergo inter motum, actionem, & passionem datur identiras realis cum subjecto. *Aristoteles.*

204 Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem explico Philosophum, & dico, sensum illius esse,

ſe, motum non reperiri niſi in illis prædicamentis, in quibus ſunt termini; ex quo non ſequitur, motum, actionem, & paſſionem habere identitatem realem cum ſubjecto. Nec obſtat, quòd differant ſecundùm definitionem ad hoc, ut arguant identitatem realem. Nam aliud eſt differre ſecundùm definitionem, & aliud differre tantùm ſecundùm definitionem: quæ differunt ſecundùm definitionem poſſunt utique realiter propriè differre, ut in propoſito.

205 Objicies quintò. Diſtinctio gradualis eſt modalis; ſed non eſt realis propriè: ergo non omnis diſtinctio modalis eſt diſtinctio realis propriè. Probas maiorem. Diſtinctio gradualis datur inter rem, & modum intrinſecum ipſius rei, nempe inter eſſentiam, & exiſtentiam: ergo eſt modalis. Probas minorem. Exiſtentia non diſtinguitur realiter propriè ab eſſentia: ergo diſtinctio gradualis non eſt diſtinctio realis propriè. Probas antecedens his verbis Reſoluti in 3. diſt. 10. q. 1. art. 4. in fine: *Igitur eſſe non differt realiter ab eſſentia tanquam aliquid receptum in ea, ſed eſt ipſamet eſſentia ut producta, & in actu*: ergo.

Bacconius.

206 Reſpondeo ad objectionem negãdo maiorem; ad cujus probationem nego maiorem, imò & ſuppoſitum, ſcilicet, quòd exiſtentia ſit modus eſſentiæ; aliàs res poſſibilis, & exiſtens ad diverſa prædicamenta ſpectaret. Cùm ergo Petrus poſſibilis, & Petrus actualis in eodem reponantur prædicamento ſubſtantiæ, ſequitur, quòd actualitas, ſive exiſtentia non ſit modus reſpectu eſſentiæ; modus enim, & res ſemper pertinent ad diverſa genera prædicamenti. Hac de cauſa ſecernit Bacconius

di-

distinctionem gradualem à modali, cùm illa detur solùm inter gradus diversos ejusdem rei, ista verò inter rem, & modum, vel inter duos modos.

207 Sed adhuc datâ maiore, quòd distinctio gradualis esset modalis, nego minorem, scilicet, quòd distinctio gradualis non sit realis proprie; ad cujus probationem distingo antecedens: existentia non distinguitur realiter propriè ab essentiâ, tanquam forma vel actus receptus in essentiâ, concedo antecedens: tanquam actus à potentiâ secundùm gradus essendi diversos, nego antecedens. Igitur Doctor verbis relatis sup. solùm vult, quòd existentia non differat realiter ab essentiâ tanquam aliquid receptum in ea, ut putant Thomistæ, sed non negat distinctionem propriê realem, qualis datur inter diversos gradus ejusdem rei, qui realiter separari possunt. Ex dictis

208 Deduces, divisionem distinctionis realîs in realem omnino, & non omnino realem, sive modalem, non esse fallaciosam, licèt distinctio modalis sit quoque realis propriè. Nam quando distinctio alia dicitur realis, & modalis alia, non sumitur in eadem acceptione; siquidem realis communiter illa dicitur, quæ est inter res, & res mutuò independentes, tam quoad existendum, quàm non existendum; non verò sic modalis, cujus extrema, licèt sint res, non sunt ita independentes; cùm nullus modus absque realitate existere valeat. Unde si attendatur ad hanc præcisam rationem extremorum, parum obstat, quòd distinctio realis, ita dicta, sit maiori proprietate realis; minimè tamen si sumatur ipsa realis distinctio in sensu sæpe sæpius explicato.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Utrùm Distinctio Modalis sit maior Distinctione Reali?

209 RESolutio est negativa, & deducta ex Doctore loco supra citato num. 108. Idem docet Mag. Bona-Spes in Log. tractatu 1. disp. 2. n. 140. Colligitur etiam ex doctrina Mastrii supra laudati, &, ut puto, ab omnibus AA. unico dempto: nullus enim, quem viderim, præter Comptonum, affirmat distinctionem modalem maiorem esse reali. Sed ante resolutionis probationem prænoto, maiorem, vel minorem distinctionem non provenire à maiori, vel minori disconvenientia entitativâ, ut ita dicam. Unde solùm debet attendi ad maiorem, vel minorem distantiam, seu disconvenientiam in ratione identitatis, ut arguatur maior, vel minor distinctio; cùm ista in negatione ipsius identitatis consistat. Hoc prænotato

Bacconius. Bona-Spes. Mastrius.

210 Probo resolutionem sic. In tantùm distinctio modalis esset maior distinctione reali, in quantum illius extrema dicerent maiorem negationem identitatis, quàm extrema distinctionis realis; sed hoc est falsum: ergo distinctio modalis non est maior distinctione reali. Maior constat ex constitutivo distinctionis, de quo sup. disp. 1. sect. 1. Probo minorem. Extrema distinctionis modalis vel sunt res, & modus, vel modus, & modus; deinde extrema distinctionis realis sunt res, & res; sed neque res dicit maiorem negationem identitatis cum modo, nec unus modus dicit maiorem negationem

iden-

identitatis cum alio modo, quàm res cum alia re: ergo falsum est, quòd extrema distinctionis modalis dicant maiorem negationem identitatis, quàm extrema distinctionis realis.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

211 NOstræ resolutioni opponitur Thomas Comptonus in Log. d. 21. de Distinctionibus sect. 2. n. 1. ubi inquit: *Hanc resolutionem licèt à nemine affirmatam videam, existimo tamen ab eorum nullo negatum iri, qui mediam hanc distinctionem P. Suarii non admittunt.* Sed nescio quonam ductus fundamento dicat Comptonus resolutionem à nullo illorum negari, qui Suarii negant mediam distinctionem. Nam & si negent distinctionem modalem non esse realem, non fatentur esse maiorem reali, nec id fateri coguntur. Maneat ergo Comptonus singularis inter cæteros, qui longe à sua mente distant, & non existimet prædictos AA. quoquo pacto in suam sententiam inclinare. Igitur pro tam singulari Doctore *Comptonus.*

212 Objicies primò. Illa magis distinguuntur, & differunt, quæ minus conveniunt; sed res, & modus sæpe minus conveniunt, quàm duæ res absolutæ; res enim sæpe est substantia, modus accidens; res est quid completum, modus semper incompletus: ergo distinctio modalis est maior distinctione reali. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: illa magis distinguuntur, & differunt, quæ minus conveniunt in ratione identitatis, concedo maiorem: in ratione entitatis, nego maiorem. Deinde distingo minorem: sed res & mo-

modus ſæpe minus conveniunt, quám duæ res abſolutæ, in ratione entitatis, concedo minorem: in ratione identitatis, nego minorem, & conſequentiam. Quia in ratione identitatis non minus differunt res, & res, quàm res, & modus; & proinde in iſta ratione, à qua ſolùm arguitur maior, vel minor diſtinctio, non ſæpe minus convenit res cum modo, quàm res cum re; quia in hoc ſenſu æqualiter diſconveniunt res, & res, ac res, & modus; nam ſicut una res non eſt alia, ita res non eſt modus. Imò ſi attendamus ad intimam conjunctionem extremorum, magis videntur differre res, & res, quàm res & modus: quia res nec identitatem, nec intimam conjunctionem dicit cum alia re; modus verò, licèt non dicat identitatem, ſemper habet intimam conjunctionem cum re, cujus eſt modus, quâ de cauſâ nequit à re exiſtere ſeparatus, licèt poſſit incipere, & deſtrui, quin incipiat, aut deſtruatur realitas, in quo ſenſu etiam dicitur res.

Comptonus. 213 Objicies ſecundò pro eodem Comptono. Per id res quælibet ab aliâ diſtinguitur, per quod in ſuo eſſe conſtituitur; ſed conſtituitur res quælibet per ſuam differentiam: ergo per eamdem diſtinguitur; ſed differentia conſtitutiva modi plus differt à differentia conſtitutiva ſubſtantiæ, quàm differentia conſtitutiva ſubſtantiæ à differentia conſtitutiva alterius ſubſtantiæ: ergo plus diſtinguitur res à modo, quàm res à re. Reſpondeo ad objectionem diſtinguendo maiorem: per id res quælibet ab alia diſtinguitur fundamentaliter, per quod in ſuo eſſe conſtituitur formaliter, concedo maiorem: per id res quælibet ab alia diſtinguitur formaliter, per quod conſtituitur formaliter, nego maiorem; &

con-


concessâ minore, distinguo consequens modo dicto.

214 Deinde distinguo alteram minorem; sed differentia constitutiva modi plus differt à differentia constitutiva substantiæ, quàm differentia constitutiva substantiæ à differentia constitutiva alterius substantiæ, in ratione entitatis, concedo maiorem: in ratione identitatis, nego minorem, & ultimam consequentiam. Unde quòd differentia constitutiva modi sæpe sit accidens, solùm facit, quòd ipsa differentia plus distinguatur à differentia constitutiva substantiæ in ratione entitatis, non autem in ratione identitatis, à qua provenit maior, vel minor distinctio, ut jam sup. dixi.

215 Nunc quæro: Erit ne distinctio modalis maior reali, quando modus fuerit substantialis? Si doctrinâ Comptoni ductus, respondeas negativè, sic eris impugnandus; ergo jam distinctio modalis absolutè loquendo, non est maior distinctione reali. Si verò affirmes, sic eris etiam impugnandus. Ideo distinctio modalis est maior distinctione reali in sententia P. Comptoni, quia modus sæpe est accidens: ergo quando modus fuerit substantialis, non erit maior. Si tandem ex eodem Comptono respondeas modum esse incompletum, rem autem completam, non inde est in tuto prædicta responsio. Nam iterum inquiro: Vel distinctio modalis est maior distinctione reali, quia modus est incompletus, & res completa; vel quia modus est accidens, & res substantia? Si primum, infero: ergo quando res fuerit incompleta, non erit minor distinctio realis. Si secundum, infero etiam: ergo quando modus fuerit substantialis, non erit maior distinctio modalis. Ex quibus

216 De-

216 Deduces non esse idem dicere distinctionem modalem esse realem, ac dicere, esse maiorem reali. Unde ex hac propositione, *distinctio modalis est realis*, malè deducitur ista illatio: *Ergo est maior reali.* Quia ut distinctio sit realis, sufficit, quòd detur inter extrema, quæ separari possunt, vel separatione mutuâ, vel non mutuâ: ut ergo sit maior reali, opus est, quòd unum extremum dicat cum alio maiorem negationem identitatis negatione identitatis realis, quod erit probatu difficile.



DIS-



DISPUTATIO III.

DE DISTINCTIONE FORMALI Scotica, & Bacconica.

SECTIO I.

De Distinctione Formali Scotica.

QUÆSTIO I.

Utrùm inter gradus metaphysicos creatos detur Distinctio Formalis Scotica?

217 ESOLUTIO est negativa, & deducta ex Doctore quodl. 3. q. 6. artic. 4. §. 4. quem sequuntur Mag. Hieronymus Aymus in Metaph. part. 1. dist. 1. q. un. art. 1. ℣. *Resolutio* 2. Mag. Josephus Zagaglia tom. 2. disp. 7. de Prædicatis quidditativis Dei sectione 1. n. 10. ubi ait: *Hanc tamen distinctionem* (nempe Scotic.) *ubique negat Bacconius*. Mag. Eliseus Garcia in Megal. dist. 2. q. 1. art. 3. concurrunt, adhuc ex nostris, Mag. Franciscus Bona-Spes in Log. tract. 1. disp. 2. de Distinctionibus dub. 5. re-

Baccon. Aym. Zagagl. Garcia. Bona-Spes.

Didacus. Complut.

5. resolutione 1. Mag Didacus à Jesu in Log. disp. 6. q. 3. ℣. *Notandum est* 3. prope finem. Complutens. in Log d. 3. q. 4. n. 34. dicentes: *Distinctio illa media inter realem, & rationis quam ponit Scotus est impossibilis.* Et, ut verbo dicam, hæc est ferè omnium R. R. sententia extra Scholam subtilissimi Doctoris. Sed antequam resolutionem probem,

218 Prænoto primò, gradus metaphysicos esse genera, species, & differentias individuantes in recta serie cujuscumque prædicamenti. Sic gradus substantiæ, corporis, rationalis, viventis, sensitivi, Petreitatis, sunt gradus metaphysici in prædicamento substantiæ. Dicuntur gradus, quia per eos descendimus ad individua, scilicet ad Paulum, Joannem, &c. & etiam, quia per eos scandimus ad supremum genus, nempe ad substantiam. Dicuntur metaphysici, quatenus totum constituunt metaphysicum.

219 Prænoto secundò, distinctionem formalem ex mente Scoti minorem esse distinctione ex natura rei reali, & maiorem distinctione rationis; esse tamen de linea absolutâ, taliter, quòd in ipsâ lineâ, animal & rationale, verbi gratia, sint diversæ formalitates citra quodcumque opus intellectûs; & sic sensatio exigit absolutè animal, & non rationale. Unde formalitates, in sententiâ Scoti, sunt subjectivæ, & rebus conveniunt secundùm esse absolutum. De hac igitur distinctione agitur in præsenti, & quæritur, an detur inter gradus metaphysicos creatos in eodem individuo repertos; nam prout gradus ipsi sunt in diversis individuis, certè realiter distinguuntur, non minus ac individua. His prænotatis,

120 Pro-

220 Probo resolutionem duplici dicto fundamento. Primum est. Ea, quæ à parte rei physicè sunt actu identificata, nequeunt à parte rei esse actu distincta, nisi per ordinem ad intellectum; sed animal, & rationale, verbi gratiâ, à parte rei physicè sunt actu identificata: ergo nequeunt à parte rei esse actu distincta, nisi per ordinem ad intellectum. Respondent Scotistæ disting. maiorem. ea, quæ à parte rei physicè sunt actu identificata, nequeunt à parte rei esse actu distincta entitativè, concedunt: nequeunt à parte rei esse actu distincta formaliter, negant. Sed contra

121 Implicat, quòd ea, quæ á parte rei physicè sunt actu identificata, sint à parte rei actu formaliter distincta, nisi tantùm per ordinem ad intellectum: ergo. Probo antecedens. Si ea, quæ à parte rei physicè sunt actu identificata, essent à parte rei actu formaliter distincta, idem esset physicè unum, & simul formaliter multiplex; sed hoc repugnat; ergo illud, ex quo sequitur. Sequela est evidens. Probo minorem. Implicat, quòd idem sit physicè essentialiter unum, & simul personaliter multiplex: ergo etiam quòd idem sit physicè unum, & simul formaliter multiplex. Antecedens si negetur, eo ipso admittitur in creatis mysterium æquale Mysterio altissimæ Trinitatis. Consequentia tenet à paritate.

222 Secundum fundamentum est. Ea, quæ á parte rei physicè sunt realiter distincta, non possunt à parte rei esse formaliter identificata: ergo similiter, ea, quæ à parte rei physice sunt realiter identificata, neqeunt à parte rei esse formaliter distincta. Probo antecedens. Si ea, quæ à parte rei phy-

 sicè

sicè sunt realiter distincta, possent à parte rei esse formaliter identificata, ex separatione rei, in locis realiter distinctis, non argueretur distinctio realis ipsius rei: sed arguitur, ut probavi sup. disp. 2. sect. 1. quæst. 3. ergo. Probo sequelam maioris. Ea, quæ à parte rei physicé sunt realiter distincta, possunt esse in diversis locis realiter distinctis: demus ergo esse. Tum sic; atqui talis separatio non arguit distinctionem realem in ipsis rebus, cùm, ut supponitur, sint formaliter idem: ergo, si ea, quæ à parte rei physicè sunt realiter distincta, possent à parte rei esse formaliter identificata, ex separatione rei in locis realiter distinctis non argueretur distinctio realis ipsius rei; ergo, cùm hoc non admittatur; neque id, ex quo deducitur; adeoque excludenda omnino est à gradibus metaphysicis creatis distinctio formalis ex natura rei Scotica.

Faber. *Ant. Sirect.* *Tromb.* *Maur.* *Vallon.* *Deduct.* *Lichet.* *Zerb.* *Tatar.* *Burlifert* *Bonet.* *Vulpes.* *Smising.* *Meruisse* *Rada.* *Nolan.* *Mastrius,* *Poncius.* *Lumbier.*

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

223 NOstræ resolutioni opponuntur Faber in suo brevi tractu formalitatum cap. 7. Antonius Sirect. Vulgò dictus Mag. formalitatum. Tromb. Maur. Valon. Deduct. in suis tractat. formal. Lichet. in 2. disp. 1. q. 4. Zerb. in q. de pluraritate distinction. Tatar. q. ultima prædicab. dub. 2. Burlifert. & Bonet. in suis tractatibus formal. Vulpes in summ. tom. 1. part. 1. disp. 9. art 5. & 6. Smising. 1. p. tractatu 2. disp. 1. n. 58. Meruisse in Metaph. lib. 2. cap. 3. 4. p. q. 4. Rada 1. p. controv. 4. Nolan. in Pinach. q. 1. Mastr. in Log. disp. 1. q. 5. art. 2. Poncius in Metaph. disp. 4. q. 2. n. 16. ubi ait: *Hæc est manifesta sententia Scoti nostri disp. 2. q. 7. & dist. 8. q.*

8. &

8. & omnium quos sequitur Ægidius de Beatitudine lib. 5. q. 5. art. 2. n. 6.

224 Sententiam hanc Scoti fortiter defendit Mag. Lumbier tract. de Essentia, & Attributis n. 736. Sed præcipuè n. 771. & taliter subtilissimam distinctionem proponit, ut in eadem subtilitate, dum superare non potuit, Scotum subtilissimum æquavit. Sed nihil mirum; vir namque fuit ita celeberrimus, ut illius laudes (præter illas quas congerunt P. Ortigas, Petrus Oxea, Joannes Barbianus, Mag. Blasco, & Mag. Garcia) eleganter expendit accutissimus Thomas Muniessa tractatu de Essentia, & Attributis disp. 18. sectione 3. num. 18. ubi hæc habet:

Lumbier.
Ortigas.
Oxea.
Barbianus.
Blasco.
Garcia.
Muniessa.

225 *Magister meus Reverendissimus P. Fr. Raymundus Lumbier: pro dolor! inter hæc modò vitâ functus cum ingenti litterariæ Reipublicæ jactura. Vir planè religiosissimus, prudentissimus, sapientissimus, & undequaque summus: Carmeli Decor: ter Aragonum, Valentiæ, & Navarræ Provincialis: insignis sui Collegii Sancti Josephi Fundator, exemplum, & Parens: almæ Universitatis Cæsaraugustanæ, in qua per quadriennium eo Magistro fœliciter potitus sum, splendor, & ornamentum: Antecessor ibi Theologiæ per annos propè quadraginta verè Primarius: Verbi Dei Ebuccinator egregius, Regique Catholico à concionibus; in supremo Inquisitionis Hispanicæ Tribunali propositionum Fidei Censor: Præclaros inter nostri sæculi Theologos, sive Scholasticos, sive Morales, sive Expositivos meritò numerandus: in Discipulorum memoria perennaturus: laude nullis intermoritura sæculis celebrandus, pluribus in lucem datis volu-*

minibus posteritati superstes: multis mihi titulis, amicitiæ, magisterii, præstantissimæ virtutis, sublimis ingenii, maturi judicii, & claritatis eximiæ, dum vixero, venerabilis. Parcat lector iis à discipulo devinctissimo erga Magistrum optimum, recens è vivis ereptum, aut amoris, aut doloris officiis.

226 Igitur pro tanto Magistro (fundamento quo utititur n. suo 786. contra Joann. à S. Thoma in gratiam Scotistarum) objicies primò. Animal ex conceptu suo non est à parte rei rationale: ergo saltem hoc modo est distinctum à rationali. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam. Nam licét animal ex conceptu suo non sit à parte rei rationale, ex hoc non sequitur, quòd à parte rei distinguatur à rationali; siquidem animal ex conceptu suo nihil aliud est, quàm animal præcisivè abstractum à differentiis, & hoc modo non invenitur a parte rei in sensu Scoti: ergo non distinguitur hoc modo à rationali, etsi non identificetur cum illo.

Joann. à S. Th.

227 Instabis. Distinctio, juxta sup. dicta, nihil aliud est, quàm identitatis negatio; sed animal ex conceptu suo non est á parte rei rationale: ergo benè sequitur, quôd distinguatur ab illo. Respondeo ad instantiam disting maiorem: distinctio nihil aliud est, quàm identatis negatio, in subjecto supponente, concedo maiorem: in subjecto non supponente, nego maiorem. Deinde concessa minore, nego consequentiam. Unde falsò supponitur, quòd animal secundùm se, & ex conceptu suo detur à parte rei physicè, vel formaliter in sensu Scoti; & ideo licèt sit verum dicere, quòd non sit rationale à parte rei,

non

non inde sequitur, quòd à parte rei sit distinctum à rationali. Vide quæ sup. prænotavi disp. 1. sect. 1. n. 5.

228 Objicies secundò. Animalitati, & rationalitati in homine competit contradictio formalis actu à parte rei; sed hæc salvari non potest sine distinctione formali actu à parte rei: ergo. Probas maiorem. Esse simile, & non esse simile est contradictio; sed esse simile, & non esse simile competit animalitati, & rationalitati in homine formaliter actu à parte rei: ergo. Maior est evidens. Probas minorem. Homo per animalitatem formaliter actu à parte rei est similis asino, deinde per rationalitatem formaliter actu à parte rei non est similis asino: ergo. Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem, data maiore, nego suppositum minoris, nempe quòd detur á parte rei formaliter in sensu Scoti animalitas, & rationalitas; siquidem animalitas, & rationalitas imponuntur ad significandas formalitates distinctas in linea intentionali, seu conceptibili, & ideo non dantur formaliter actu à parte rei in sensu Scoti; sicque negatur idem suppositum ad probationem minoris.

229 Dixi supra, *data maiore*; quia licét opponatur omnimoda similitudo cum omnimoda, vel cum aliqua dissimilitudine, tamen aliqua similitudo non opponitur cum aliqua dissimilitudine: licét ergo homo sit similis, & dissimilis asino cum aliqua similitudine, & aliqua dissimilitudine, non inde arguitur contradictio. Et per hoc patet differentia æqualitatis à similitudine; æqualitas namque non solùm dicit convenientiam in aliqua ratione, sed etiam negationem excessûs, quâ de causâ opponitur contradictoriè inæqualitati; similitudo verò, in ali-

aliqua ratione, cùm non dicat negationem dissimilitudinis in alia ratione, ideo non opponitur dissimilitudini.

230 Instabis. Nullo intellectu cogitante, Petrus verbi gratia à parte rei est similis asino, & dissimilis; sed non est similis nisi per animalitatem, neque dissimilis nisi per rationalitatem: ergo à parte rei dantur formalitates distinctæ in homine, nullo cogitante intellectu. Respondet Comptonus hîc disp. 27. sectione 3. n. 5. non esse inconveniens concedere hominem esse similem asino per *animalitatem*, & simul per rationalitatem, si argumentum procedat à parte rei, & in sensu reali; verùm, n. seq. ad finem, docet totum Petrum esse similem asino, & totum dissimilem, cùm physicé omnia sint idem. Ex qua doctrina infertur, Petrum habere à parte rei physicé, vel saltem formaliter in sensu Scoti, omnimodam similitudinem cum bruto, & omnimodam dissimilitudinem; cúm totus sit similis, & totus dissimilis bruto. Hæc tamen doctrina sustineri non potest; quia, illâ admissâ, necessario debet fateri distinctionẽ virtualem maximam in creatis, vel saltem formalem Scoticam (quam negamus, & negat utique ipse Comptonus) cùm illarum quælibet admittatur ad salvandam contradictionem, quæ infallibiliter arguitur in eâdem entitate habente omnimodam similitudinem, & omnimodam dissimilitudinem.

Comptonus.

231 Franciscus Palanco tract. 3. de Univers. q. 14. n. 14. respondet quòd, cùm negatur de rationali esse rationem conveniendi, non negatur de illo, prout est à parte rei; cùm rationale prout est à parte rei sit ratio conveniendi. Ex quo sequitur, hominem

Palanco.

minem à parte rei physicè, vel saltem formaliter in Sensu Scoti, esse similem equo per rationalitatem. Sed contra hanc solutionem, in gratiam partis adversæ, benè arguit ipse Palanco n. 15. non tamen probè satisfacit argumento n. 17. Arguit ergo sic. Ratio assimilandi unum alteri debet utrique extremo convenire; sed rationalitas à parte rei non convenit homini, & equo: ergo non est à parte rei ratio assimilandi hominem equo.

232 Ad quam difficultatem respondet ipse distinguendo maiorem: ratio assimilandi, præcisivè sumpta, debet utrique extremo convenire, concedit maiorem: realiter sumpta, negat maiorem; & inquit, contrarios fateri animalitatem hominis esse rationem assimilandi hominem equo, quin animalitas hominis physicè sumpta conveniat equo. Hæc solutio, ut dixi, non satisfacit difficultati; mihi saltem fit intelligibile, quòd extrema in aliqua, & quacunque linea dicantur similia, quin ratio assimilandi unum alteri, ipsis extremis conveniat in eadem linea, aliter nihil apparet in quo consistat ipsa similitudo, quæ cùm sit realis physica, vel formalis, ita debet extremis convenire. Hinc nego, quòd animalitas hominis sit ratio assimilandi hominem equo; in sensu physico; cùm solùm habeat rationem assimilandi unum alteri in linea intentionali. Ea propter

233 Respondeo ad instantiam n. 230. negando quòd à parte rei physicè Petrus verbi gratiâ sit similis asino aliquo modo; siquidem pro tali statu nulla res est similis alteri, sed omnino dissimilis, & disconveniens. Fundamentum mihi est; quia omnis entitas à parte rei est singularis singularitate formaliter,

 maliter,

maliter, & realiter physicé identificata cum reliquis prædicatis ejusdem entitatis; sed singularitas est ratio oppositionis, & dissimilitudinis: ergo Petrus, physicè sumptus, est omnino dissimilis asino, adeoque pro tali statu nihil habet per quod cum bruto conveniat.

234 Objicies tertiò. Rationali formaliter à parte rei convenit definitio diversa ab animali; sed hoc salvari non potest sine distinctione formali à parte rei inter animal, & rationale: ergo. *Probas* maiorem. Rationali formaliter á parte rei convenit hæc definitio, *principium ratiocinandi*; sed talis definitio non convenit formaliter â parte rei animali: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Animal formaliter à parte rei definitur, *principium sentiendi*; sed principium sentiendi non est principium ratiocinandi: ergo talis definitio nempe, *principium ratiocinandi* non convenit, formaliter a parte rei, animali.

235 Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem concessa maiore distinguo minorem: principium sentiendi non est principium ratiocinandi formaliter intentionaliter, concedo minorem: formaliter in sensu Scoti, nego minorem; quia in sensu formali Scoti, totum, quod convenit animali, convenit etiam rationali cum illo identificato, & hoc modo verè affirmatur de rationali, ac de animali, quòd sit principium sentiendi, & quòd sit principium ratiocinandi. Quare principium ratiocinandi non est adæquata definitio rationalis sumpti á parte rei formaliter in esse absoluto, sed solùm est definitio inadæquata. Hinc fit, quòd

quòd ex diversis definitionibus inadæquatis non arguatur distinctio formalis, sed solùm ex adæquatis definitionibus. Itaque quando dicimus, rationale esse principium ratiocinandi, non verò animal, hoc intelligendum est in linea intentionali, in qua solùm alia est definitio rationalis, & alia animalis.

236 Instabis: Ergo si animali, & rationali conveniant diversæ definitiones adæquatæ distinguerentur formaliter in sensu Scoti; sed conveniunt: ergo distinguuntur. Illatio sequitur ex dictis. Probas minorem: *Principium ratiocinandi* est adæquata definitio rationalis, & *Principium sentiendi* est adæquata definitio animalis; sed istæ definitiones sunt diversæ: ergo. Respondeo ad instantiam disting. illatum: si animali, & rationali conveniant diversæ definitiones adæquatæ in lineâ absolutâ, distinguerentur formaliter in sensu Scoti, concedo illationem: Si animali, & rationali conveniant diversæ definitiones adæquatæ in linea intentionali, distinguerentur formaliter in sensu Scoti, nego illationem. Deinde applicata distinctione minori, nego consequentiam. Ad probationem minoris distinguo maiorem: principium ratiocinandi est adæquata definitio rationalis & cæt. in linea intentionali, concedo maiorem: in lineâ absolutâ, nego maiorem; quia cùm physicè & formaliter omnia sint idem, totum, quod convenit animali, convenit rationali, & è contra.

237. Objicies quartò. Si rationale formaliter à parte rei non esset distinctum ab animali, de quocumque, de quo verificaretur animal, verificaretur rationale; sed hoc est falsum: ergo. Maior est certa.

Pro-

Probas minorem. De asino formaliter a parte rei verificatur animal; sed non verificatur rationale: ergo. Respondeo ad objectionem disting. maiorem: Si rationale formaliter à parte rei non esset distinctum ab animali, de quocumque, de quo verificaretur animal, quod est identificatum cum homine, verificaretur rationale, concedo maiorem: de quocumque, de quo verificaretur animal distinctum *ab animali*, quod est identificatum cum homine, verificaretur rationale, nego maiorem. Deinde distinguo minorem eodem modo, & nego consequentiam.

238 Ad probationem minoris distinguo maiorem: de asino formaliter à parte rei verificatur animal, quod non est identificatum cum homine, concedo maiorem; verificatur animal, quod est cum homine identificatum, nego maiorem; & concedo minorem. Igitur animal, quod physicè reperitur in asino, non est physicé animal, quod in homine reperitur, sed aliud, & ideo de asino non prædicatur rationale, licèt prædicetur animal. Objectio solùm probat dari distinctionem inter animal asini, & rationale, quam concedimus; non verò inter animal hominis, & rationale, quam semper negamus in sensu Scoti.

239 Objicies quinto. Ubi datur Compositio vera, datur vera distinctio; sed animal & rationale veré componunt hominem: ergo verè distinguuntur; sed non realiter physicè: ergo realiter formaliter. Respondeo ad objectionem concedendo totum, præter ultimam consequentiam. Quia distinctio, quæ ex compositione arguitur inter animal, & rationale, solùm est formalis intentionalis; cùm enim

enim compositio tantùm sit ex genere, & differentiâ, non petit aliam distinctionem præter intentionalem.

240 Objicies sexto. Partes totius distinguuntur realiter actu à parte rei; sed gradus metaphysici sunt partes respectu totius metaphysici: ergo distinguuntur realiter actu à parte rei; sed non realiter realiter: ergo realiter formaliter in sensu Scoti. Probas maiorem. Semel quòd partes physicæ tales sint respectu totius physici, distinguuntur realiter actu à parte rei physicè; ergo. Respondeo ad objectionem disting. maiorem: partes totius distinguuntur realiter actu à parte rei, si totum sit tale actu à parte rei physicè, concedo maiorem: si totum tale sit actu à parte rei intentionaliter, & sit totum metaphysicum, subdistinguo, distinguuntur realiter intentionaliter, concedo maiorem: realiter physicè, vel formaliter in sensu Scoti, nego maiorem; & concedo minorem. Ad probationem maioris, concesso antecedente, distinguo consequens modo dicto. Quare partes totius physici distinguuntur physicé, quia totum physicum constat partibus, quæ physicè separari possunt, ex quo non fit bona paritas ad totum metaphysicum, quod non aliam petit distinctionem, præter intentionalem.

241 Instabis. Gradus metaphysici in Petro verbi gratiâ desumuntur à partibus physicis ipsius Petri; sed inter partes physicas Petri datur distinctio actu à parte rei: ergo etiam inter gradus metaphysicos. Respondeo ad instantiam disting. maiorem: gradus metaphysici desumuntur à partibus physicis, taliter, quòd quilibet gradus desumatur ab omnibus partibus, concedo maiorem: taliter quòd

quòd quilibet gradus desumatur à qualibet parte, nego maiorem; quia gradus metaphysici desumuntur ab omnibus partibus physicis, quatenus istæ sunt fundamentum illos considerandi, & præcindendi; & ideo non arguitur distinctio ex natura rei Scotica inter illos, licèt inter ipsaspartes physicas detur vera distinctio realis ex natura rei. Deinde hæc instantia multum probat; probat namque dari distinctionem realem physicam inter gradus metaphysicos, ex eo, quòd partes physicæ realiter physicé distinguantur.

242 Objicies, septimo. Ab animali, & rationali egrediuntur operationes distinctæ; sed eo ipso distinguuntur formaliter ex natura rei: ergo. Probas maiorem. Ab nimali egreditur operatio sensitiva, & à rationali egreditur operatio discursiva, sed istæ operationes sunt distinctæ: ergo. Respondeo ad objectionem, concessa maiore, negando minorem. Falsum igitur est operationes distinctas arguere distinctionem in principio, à quo procedunt: aliter calefactio & illuminatio, quæ inter se distinguuntur realiter, arguerent realem distinctionem in Sole, à quo procedunt; vel creaturæ inter se distinctæ realiter, eamdem distinctionem in Deo inferrent. Utrumque esse falsum, & unum hæreticum satis constat.

Poncius. 243 Objicies octavo cum Poncio sup. laudato sed n. suo 14. ℣. *Secundó possibilitas.* Non potest assignari repugnantia aliqua, cur entitates positivæ, quæ neque per se ipsas existere possunt, neque de novo alicui advenire, non possint poni á parte rei; quod si ponantur, necessariò habebunt distinctionem formalem: ergo possibilis est distinctio formalis.

lis. Respondeo ad objectionem negando antecedens, & assignando repugnantiam; hæc namque esset manifesta contradictio, siquidem distinguerentur tunc, & non distinguerentur illæ entitates: non distinguerentur, quia, ut supponit ipse Pontius, essent physicè identificatæ; distinguerentur, quia una formaliter in esse absoluto non esset alia, quod repugnat, ut probavi sup. n. 221. & 222.

244 Objicies nonò. Animal, quod est in homine, separatur ab illo in asino, non verò rationale; sed hoc salvari nequit sine distinctione ex natura rei inter animal, & rationale: ergo. Respondeo ad objectionem id ipsum, quod sup disp. 2. sect. 1. n. 78. Et solùm addo, aliud esse animal hominis separari ab animali asini; & aliud animal hominis separari à se ipso in asino. Primum est verùm. Secundum verò falsum. Primum est verum, quia animal hominis separari ab animali asini, est idem ac esse identificatum cum rationali ab animali asini separato: & distincto. Secundum est fallum, quia ut animal hominis esset separatum á se ipso in asino, distingueretur physicè à se ipso; cùm separatio sit signum distinctionis realis physicæ; sed repugnat idem esse distinctum physicè à se ipso: ergo. Itaque animal, quod est in homine, cum sit animal humanum, non est physicè animal asini; sicque negatur maior syllogismi supra positi.

245 Objicies decimò. Multa verificantur de animali, quæ nullo modo verificantur de rationali; sed hæc salvari non possunt sine distinctione virtuali maxima, vel saltem Scotica: ergo saltem hæc erit admittenda inter animal, & rationale. Probas maiorem. De animali prædicatur, & verificatur genus,

nus, verificatur quod sit contrahibile, & cæt. de rationali non verificatur quòd sit genus, nec quód sit contrahibile; imó verificatur quòd sit differentia, & quòd sit contrahens: ergo multa verificantur de animali, quæ nullo modo verificantur de rationali. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: multa verificantur de animali, quæ nullo modo verificantur de rationali, in linea intentionali, concedo maiorem: in linea physica, vel formali Scotica, nego maiorem; ad cujus probationem dico, illa omnia vera esse in linea intentionali; falsa verò in linea physica; cùm physicè omnia sint idem. Ex quibus.

246 Deduces, non posse animal hominis existére sine rationali, licèt rationale accidentaliter adveniat animali; quia solum advenit animali accidentaliter in linea intentionali, minimé verò in linea physica, in qua simul existunt animal, & rationale; sicque, ex nullo capite dabitur distinctio formalis ex natura rei Scotica inter gradus metaphysicos creatos.

QUÆSTIO II.

Utrùm inter Essentiam Divinam comparatam cum Attributis, vel inter Attributa ad invicem comparata detur Distinctio Formalis Scotica?

Bacconius.
Zagaglia.
Blasco.

247 Resolutio est negativa, & expressa mens Doctoris in 1. dist. 2. q. 2. art. 3. §. 1. quem sequuntur Mag. Josephus Zagaglia tom. 2. tract. 2. disp. 1. de Attributis Divinis lect. 1. §. 2. Mag. Dionysius Blasco tom. 2. Theologiæ Bacconicæ

nicæ dist. 91. q. 2. art. 2. §. 3. Mag. Eliseus Garcia Garcia.
sup. citatus sed n. suo 562. Mag. Didacus de Castil- de Castilla.
la tract. 2. de Deo Uno, & ejus Attributis q. 8. n. Cornejo.
222. Id ipsum colligitur ex doctrina Mag. Petri Cor- Lezana.
nejo tom. 1. tractatu 3. de S. Trinitatis Mysterio, Lao.
& Mag. Joann. Bapt. Lezana tom. 1. tract. 2. Pu- Daniel.
gnant etiam contra Scotum Mag. Andreas Lao tom.
1. q. 4. de Dei perfectione disp. 23. dub. 2. Mag.
Daniel à S. Josepho tom. 1. d. 5. de Deo Uno cap. 6.
& 7. & ℣. *Hæc porro Patrum* citat Bacconium di-
centem, clamare Sanctos contra Scoti sententiam.

248 Concurrunt pariter Mag. Didacus à Jesu
loco sup. citato. Mag. Paulus à Conceptione tom. Didacus.
1. tract. 1. disp. 3. §. 1. Mag. Joannes à S. Michaele Paulus.
tom. 1. tract. 1. d. 4. q. 2. Hæc est sententia Damas- A S. Michaele.
ceni nostri lib. de Fide primo cap. 11. quam tenent Damascan.
utique Complutenses citati, & Salmaticenses. Præ- Complut.
ter hos nostræ familiæ Scriptores, defendunt reso- Salmat.
lutionem quamplurimi alii tam intra, quam extra
Scholam Resoluti; & est sententia communis inter
cæterarum Scholarum Magistros, subtilissimis ex-
ceptis. Sed antequam resolutionem probem,

269. Prænoto quid sit attributum, verbis Da-
masceni citati. *Attributum Divinum nihil aliud
est, quàm ratio quædam absoluta neccessariò, & for-
maliter existens in Deo, & consequens nostro modo
concipiendi cum fundamento in re, ad essentiam
ejusdem, tanquam aliquid in certa specie atoma
constitutum.* Quæ quidem verba sic optimè expli-
cantur à Mag. Zagaglia: *Per hoc quòd sit* ratio ab-
soluta *excluduntur à conceptu attributi Divinæ
relationes, quæ licèt sint formaliter in Deo, tamen
formaliter non sunt quid absolutum, sicque non di-
cuntur*

cuntur propriè attributa. Per particulam formaliter *excluduntur à ratione attributi ea, quæ tantummodo sunt in Deo eminenter, ut creaturæ. Per ly* necessariò *excluduntur ea, quæ liberè sunt in Deo, ut volitiones liberæ Dei. Dicitur* quòd consequatur ad essentiam nostro modo concipiendi constitutum, *ut à ratione attributi excludatur Divina essentia, quæ non potest concipi ut ad se ipsam subsecuta.* (Addit ipse Zagaglia) *ut excludantur prædicata quidditativa. Per hoc quòd sit* in certa specie atoma constitutum *distinguitur à rationibus communibus, sive transcendentalibus, quæ in iisdem attributis, aut aliis rationibus Divinis includuntur; & pariformiter à rationibus quasi transcendentalibus eorumdem attributorum, & tamen nulla ex eis per se sumpta habet rationem attributi.* Hoc prænotato,

250 Probo resolutionem, & primò sic. In Divinis, loquendo de absolutis, ibi datur identitas, ubi est perfectio; sed essentia, & attributa sunt perfectiones absolutæ in Deo: ergo identificantur; sic que inter essentiam, & attributa; vel attributa ad invicem comparata, non intercedit distinctio formalis actu à parte rei. Maiorem probat Bacconius ex D. Anselmo in Prolog. cap. 5. ubi asserit, quód attributa sunt idem cum natura, quia quodlibet illorum est melius ipsum; sed melioritas dicit perfectionem: ergo in Divinis, loquendo de absolutis, ibi datur identitas, ubi est perfectio.

251 Respondent Scotistæ disting. maiorem: ibi datur identitas, ubi est perfectio, loquendo de identitate reali, concedunt: loquendo de identitate formali, negant. Sed contra. Ex perfectione reali in Deo

Deo arguitur identitas realis, loquendo de absolutis: ergo etiam ex perfectione formali argui debet identitas formalis; sed Sapientia, Omnipotentia in Deo, ex quo sunt realiter perfectæ, arguunt identitatem realem; ergo, ex quo sunt formaliter perfectæ, arguere debent identitatem formalem: ergo carent distinctione formali actu à parte rei in sensu Scotico.

252 Probo resolutionem secundo sic. In Divinis nulla datur compositio in esse absoluto; sed hæc necessariò daretur, admissa distinctione formali actu à parte rei, de qua est sermo: ergo non datur talis distinctio in Divinis inter essentiam, & attributa, vel inter attributa adinvicem comparata. Maior est certa, & satis constat ex Clementin. cap. Firm. de Summ. Trin. & Fid. Cathol. ubi definitur Deum esse omnino simplicem; sed simplicitas excludit compositionem: ergo. Probo minorem primi syllogismi. Admissâ prædictâ distinctione, ante omnem intellectûs operationem, esset ibi aliquid, & unum esset in alio; sed, hoc posito, non possent non componere illud, in quo convenirent, & illud perficere: ergo.

253 Respondent Scotistæ, concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem distinguunt maiorem: admissa prædicta distinctione, esset ibi aliquid, & aliquid formaliter, concedunt maiorem: realiter, negant maiorem; dicunt que distinctionem formalem non arguere compositionem, bene quidem distinctionem realem. Sed contra, instat Mag. Zagagl. sup. citatus. Formalitates illæ, quæ in Deo sunt actu à parte rei, ante omnem intellectûs operationem, vel sunt unitæ, vel non? *Zagaglia.*

Si sunt unitæ, vel tanquam actus, & potentia, & sic componunt; vel per identitatem, quod Scotistæ negant, loquendo de identitate formali. Si non sunt unitæ: ergo in Divinis datur inter essentiam, & attributa aggregatum per accidens.

Proponuntur Objectiones, & dissolvuntur.

Scotus. Lumbier.

254 NOstræ resolutioni opponuntur Subtilissimus Mag. & omnes ejus Discipuli jam sup. citati, quos sequitur Magister Lumbier loco sup. pro quibus omnibus, & imprimis contra primam resolutionis partem objicies primo. De essentia cum attributis comparata actualiter formaliter verificantur prædicata contradictoria; sed hoc non potest subsistere sine distinctione formali actu à parte rei: ergo inter essentiam Divinam comparatam cum attributis datur distinctio formalis, de qua est sermo. Probas maiorem ex Damasceno l. 1. cap. 4. *Si justum, si bonum, si quid tale dixeris, non naturam Dei dicis, sed quæ sunt circa naturam.* Sic etiam Cyrillus, & Nissenus quos refert Muniessa disp. 5. de essentia, & attributis sect. 7. Item Aug. de Trinit. lib. 5. cap. 6. ad illa verba: *Si dicam æternus, justus, bonus, Spiritus, horum omnium novissimum, quod posui, videtur significare substantiam, cætera veró hujus substantiæ qualitates.* Ita loquuntur D. Dionisius, D. Anselmus, quos citat illustrissimus Petrus Godoy q. 2. de Deo uno tract. 1. disp. 5 § 3. n. 28. Id etiam videri potest apud Mastrium disp. 2. de Divinis attributis q. 2. art. 2. ℣. *Deinde idem insinuant Patres*: ergo si juxta P.P. aliquid important attributa, quod non importat essen-

Damasc. Cyrillus. Nissenus. Muniessa. Augustin. Dionisius. Anselmus. Godoy Mastrius.

essentia, & é contra, de essentia cum attributis comparata, actualiter formaliter verificantur prædicata contradictoria.

255 Respondeo ad objectionem disting. maiorem: de essentia cum attributis comparata, actualiter formaliter verificantur prædicata contradictoria, in linea intentionali, & respectivâ, concedo maiorem: in lineâ physicâ, & absolutâ, nego maiorem, & in hoc sensu nego minorem, & absolutè consequentiam. Ad probationem maioris dico SS. Patres loquutos fuisse de illis prædicatis, non in esse physico, & absoluto, sed in esse intentionali, & respectivo. Unde, in sensu absoluto, omnia, quæ sunt in Deo, sunt formaliter natura, & substantia, ut docet Resolutus in 1. dist. 2. q. 2. art 3. §. 3. ℣. *Probatur igitur* ad finem, ubi hæc habet: *Omnia, quæ sunt in Deo, dicuntur rationes perfectionales absolutæ, quæ ut sic dicuntur formaliter substantia, & ita habent identitatem formalem.* Igitur ex doctrina Patrum non sequitur distinctio Scotica, imò opinionem Scoti esse conrra SS. P.P. & contra rationem fusé probat Bacconius citato loco. *Baccon.*

256 Objicies secundo alterâ viâ, quâ utitur Scotus, quem sequitur Mastrius sup. citatus, sed n. suo 44. Illa, quæ diversis definitionibus definiuntur, distinguuntur formaliter ex natura rei; sed essentia, & attributa diversis definitionibus definiuntur: ergo. Probas maiorem. Definitio exprimit naturam rei, prout est, & res diversimodè definiuntur, quia diversas habent naturas in se ipsis. Probas minorem cum eodem Mastrio n. suo 46. auctoritate Damasceni lib. 1. cap. 4. ubi essentiam vocat Dei Naturam; attributa verò vocat perfectiones *Scotus. Mastrius.*

Augustinus. nes talem náturam circumſtantes; & Aug. 15. de Trinit. cap. 6. ubi eſſentiam vocat Dei naturam, attributa verò hujus ſubſtantiæ qualitates (quorum verba dedi ſup. n. 254.) & eodem modo cæteri omnes loquuntur Patres : ergo eſſentia, & attributa diverſis definitionibus definiuntur,

257 Reſpondeo ad objectionem diſting. maiorem : illa, quæ diverſis definitionibus definiuntur, deſtinguuntur formaliter ex natura rei, in eſſe reſpectivo, concedo maiorem: in eſſe abſoluto, nego maiorem; ad cujus probationem reſpondeo eâdem diſtinctione. Deinde diſtinguo minorem: eſſentia, & attributa diverſis definitionibus definiuntur in eſſe reſpectivo, & intentionali, concedo minorem: in eſſe abſoluto, nego minorem: ad cujus probationem fundatam in auctorit. SS. PP. idem reſpondeo quod ſup. n. 255. & nego conſequentiam in ſenſu Scoti. Igitur modo, quo in eſſe abſoluto comparatur eſſentia cum attributis, ſunt una ipſiſſima formalitas; licét altera ſit definitio eſſentiæ; & altera attributorum in eſſe reſpectivo, & intentionali, quod Reſolutus fatetur loco ſup. art. 4. §. 5. ℣. *Adprimum in concluſione* (ubi proſequitur) *eodem modo dico, quod alia eſt definitio eſſentiæ ex natura rei, & ſapientiæ, ſecundùm quod dicunt reſpectus illos diverſæ repræſentativitatis; quia hoc repræſentat ſubſtantiam, hoc autem quaſi diſpoſitionem eſſentialem; non tamen alia eſt definitio, ut dicunt rationes perfectionales abſolutas.* *Baccon.*

258 Objicies tertio. Attributa ſunt formaliter actu à parte rei extra eſſentiam Divinam: ergo inter eſſentiam comparatam cum atttributis datur diſtinctio formalis actu à parte rei. Probas antecedens.

dens. Essentia, & attributa formaliter actu à parte rei dicunt multiplicitatem; sed multiplicitas dicit unum esse extra aliud: ergo. Probas maiorem. Deus est formaliter ens infinitum in perfectione; sed omne infinitum dicit multiplicitatem: ergo essentia, & attributa, cùm includantur in Deo, dicunt formaliter actu à parte rei multiplicitatem. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem distinguo maiorem: essentia, & attributa formaliter actu à parte rei dicunt multiplicitatem respectivam, concedo maiorem: dicunt multiplicitatem absolutam, nego maiorem. Deinde applicata distinctione minori, nego consequentiam. Licèt ergo Deus sit infinitus in perfectione, ut est, non inde arguit multiplicitatem formalem; nam hæc opponitur simplicitati Divinæ. Itaque in Deo solum reperiri potest multiplicitas respectiva, vel eminentialis, quæ nullo modo obstant simplicitati summæ ipsius Dei.

259. Instabis. Ergo Deus tantùm in sensu respectivo, & intentionali est infinitus in perfectione, non verò in sensu formali absoluto; sed hoc non: ergo neque illud, ex quo sequitur. Probas illationem. Deus in eo tantùm sensu dici debet infinitus, in quo continet multiplicitatem; sed juxta dicta tantùm continet multiplicitatem respectivam, & non absolutam: ergo Deus tantùm in sensu respectivo, & intentionali est infinitus in perfectione. Respondeo ad instantiam negando illationem, ad cujus probationem nego maiorem; quia Deus dicitur infinitus propter identitatem physicam, quam habet cum omnibus suis perfectionibus: qua de causa est infinitus in omni genere perfectionis Divinæ;

quoniam in ista identitate fundatur eminentia omnium perfectionum Divinarum, in qua propriissimè consistit infinitudo ipsius Dei: ergo bene sequitur, quòd Deus semper dicatur infinitus, licèt non admittat multiplicitatem aliam præter respectivam.

260 Replicabis. Deus non potest dici infinitus in genere perfectionis Divinæ propter identitatem, quam habet cum perfectionibus Divinis: ergo nulla solutio. Probas antecedens. Deus non solùm est infinitus in genere perfectionis Divinæ, sed etiam est infinitus in genere perfectionis creatæ; sed infinitudo in genere perfectionis creatæ non potest provenire ab identitate Dei cum creaturis, cùm ista identitas sit chimærica: ergo infinitudo Dei aliunde procedit, non ab identitate. Respondeo ad replicam negando antecedens; ad cujus probationem, concessa maiore, & minore, nego consequentiam. Quare dico, infinitudinem formalem Dei tam in genere perfectionis Divinæ, quàm creatæ consistere in eminentia ipsarum perfectionum, cum hoc tamen discrimine, quód eminentia creaturarum fundatur in virtute productivâ, non in identitate; cùm hæc sit impossibilis inter Deum, & creaturam, ut benè notatur ab arguente. Verum eminentia Divinarum perfectionum provenit ab identitate, quam Deus habet cum omnibus suis perfectionibus. Et ideo non est opus, Deum omnia formaliter continere, ut sit infinitus in omni genere; quod doctissimè probat Muniessa de essentia, & attributis disp. 3. sectione 3. præcipuè n. 28. & 29. *Muniessa.*

261 Objicies quarto contra secundam resolutionis partem, etiam authoritatibus SS. PP. & imprimis ex August. de Trinitate 7. cap. 7. dicente: *Deus* *Augnst.*

Deus verò multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, ſapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur. Senſus Auguſt. videtur eſſe, dari in Deo veram attributorum multiplicitatem; ſed eo ipſo datur vera diſtinctio, ſi non realis phyſica, ſaltem formalis ex natura rei, inter attributa ad invicem comparata; ergo. Reſpondeo ad objectionem id ipſum, quod ſup. n. 255. Addo tamen, D. Auguſtinum non negare veram identitatem phyſicam, & formalem in eſſe abſoluto in ipſis attributis, quod eodem loco declarat ipſe ſequentibus verbis: *Sed eadem magnitudo ejus eſt quæ ſapientia: non enim mole magnus eſt, ſed virtute, & eadem bonitas, quæ ſapientia, & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia*: Ergo ex verbis Aug. ſolùm infertur diſtinctio in eſſe reſpectivo, non in abſoluto.

262 Objicies quinto ex eodem Auguſt. de Trinit. 8. cap. 1. ad illa verba: *Ubi magnitudo ipſa veritas eſt, quidquid plus habet magnitudinis, neceſſe eſt ut plus habeat veritatis.* Senſus Auguſt. eſt; duas Perſonas Divinas non eſſe aliquid maius, quàm una, quia non ſunt aliquid verius, ſemel quod in Divinis magnitudo ſit idem phyſicé cum veritate: ergo admittit diſtinctionem, ſaltem formalem inter illa attributa, magnitudinem ſcilicet, & veritatem. Probas illationem. Si magnitudo, & veritas diſtinguerentur ſolo intellectu, non argueretur magnitudo ex veritate; ſed hoc éſt contra Auguſtinum: ergo magnitudo, & veritas diſtingnuntur formaliter ex natura rei. Reſpondeo ad objectionem, conceſſo antecedente, ſcilicet Auguſt. ex veritate arguere magnitudinem; nego tamen conſequentiam, *Auguſt.*

 nem-

nempe, quòd formaliter ex natura rei distinguantur, in sensu absoluto, magnitudo, & veritas; ad hoc namque sufficiens est distinctio formalis in esse respectivo; cùm D. August. non supponat quód magnitudo, & veritas differant in esse absoluto.

Augustinus. 263 Objicies sexto etiam auctoritate Augustini contra Maximinum: *Si potest Deum Patrem concedere simplicem, & tamen esse sapientem bonum, & magnum &c. quantò magis unus Deus potest esse simplex, & tamen Trinitas.* Sensus Augustini est, quòd in Deo conservetur simplicitas, non obstante distinctione reali relationum. Unde sic arguit S. Doctor. Tu concedis Deum esse simplicem, licèt defendas esse sapientem, bonum, & magnum: ergo á fortiori debes fateri Deum esse simplicem, non obstante distinctione relationum; sed hoc argumentum August. esset nullum, si sapientia, bonitas, & magnitudo non distinguerentur ex natura rei: ergo sic distinguuntur. Respondeo ad objectionem concedendo illum fuisse sensum Augustini; negando tamen minorem, & consequentiam. Quia S. Doctor solùm arguit ex sẽsibilibus, & insensibilibus, quasi diceret, sapientia, bonitas, magnitudo, & cætera attributa, quæ in rebus sensibilibus reperiuntur, differunt realiter, & tamen, ut sunt in Deo, ejus simplicitatem non dirimunt: ergo à fortiori relationes, quànvis distinctæ realiter, positæ in Deo non destruunt simplicitatem Divinam. *Et hæc*

Baccon. *consequentia est clara* (inquit Bacconius sic explicans Augustinum in 1. disp. 2. q. 2. art. 2. ℣. contra *Maximinum*) *quia si ea, quæ in rebus sensibilibus differunt secundùm esse absolutum, & secundùm diversa genera, cujusmodi sunt sapientia, &*

mag-

magnitudo, cùm in Deo sunt posita, non dirimunt ejus simplicitatem: ergo quæ in sensibilibus relativè differunt, & intra idem genus, si in Deo ponantur, non dirimunt ejus simplicitatem.

264 Objicies septimo auctoritate D. Bernardi lib. 5. de consideratione cap. 7. *Dicimus magnum, bonum, justum, & innumera talia; sed nisi omnia unum in Deo consideres, habebis multiplicem Deum.* Sensus videtur esse, attributa distingui inter se formaliter, non obstante identitate cum essentia: ergo. Respondeo ad objectionem negando dictum sensum verborum Doctoris Meliflui; nam si juxta ipsum inter Dei attributa intercederet distinctio ex natura rei, esset utique ex rei natura aliud attributum magnitudinis, & aliud bonitatis; sed in Deo non est aliud, & aliud, etiam juxta D. Bernardum: ergo. Minor, de qua solùm dubitari poteris, liquet verbis expressis ejusdem D. serm 80. in Cantica ubi de Deo loquens, inquit: *Hanc sibi vendicat, meram, singularemque suæ essentiæ simplicitatem, ut non aliud, & aliud inveniatur in ea*: Ergo proposita objectio solùm probat distinctionem in esse respectivo, non ex natura rei in esse absoluto. *Bernardus.*

265 Objicies octavo. Sapientia ex genere suo est distincta á potentiâ factivâ, etiam sumptâ ex proprio genere: ergo etiam Sapientia Divina á Divinâ Omnipotentiâ. Antecedens est certum. Probas consequentiam. Ratio Divinitatis nihil facit in ordine ad identitatem: ergo si sapientia præcisa à Divinitate est distincta à potentiâ factivâ, ita etiam Sapientia Divina à Divinâ Omnipotentiâ. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente (intellecto de Sapientiâ ut habet esse contractum in creaturis)

turis) negando consequentiam; ad cujus probationem nego antecedens. Semel enim, quòd in sapientia inveniatur ratio Divinitatis, utique ratio simplicitatis reperitur, ex qua identitas arguitur in sensu absoluto cum omnibus aliis attributis, licèt non arguatur identitas in sensu respectivo, & intentionali. Dixi sup. *intellecto de Sapientia ut habet esse contractum in creaturis*; quia si sumatur ipsa sapientia ut abstracta tam à Deo, quàm à creaturis, tunc certò caret distinctione formali ex rei natura à potentia factiva, à qua solùm intentionaliter distinguitur.

266 Objicies nono. Modus distinguendi sequitur modum essendi; sed attributa Divina habent esse absolutum formaliter ex natura rei: ergo sic distinguuntur. Respondeo ad objectionem negando maiorem absolutè sumptam, quæ, si vera esset, probaret utique attributa Divina distingui physicè rigorosè inter se, cùm etiam realiter physicè habeant esse rigorosum à parte rei. Quare, quandó dicitur, quòd modus distinguendi sequatur modum essendi, sensus est, quòd unum distinguatur ab alio, cum quo non convenit secundùm idem esse, & hoc verum est; sed nego quód attributa secundùm esse formale actu à parte rei, in sensu absoluto, non conveniant. Hanc solutionem deduxi ex mente Doctoris in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. ad medium ubi præsentem difficultatem proponit, & his verbis respondet: *Dico quód maior est falsa, quia secundùm omnem opinionem attributa in Deo habent talem modum essendi, quod sunt idem realiter: si ergo modus distinctionis sequitur modum essendi, sequitur quòd distinguantur secundùm quod idem realiter, quod est fal-*

Baccon.

falsum. Item Sortes, & Plato sunt idem in specie; si ergo modus distinguendi sequitur modum essendi, sequitur quod distinguantur secundùm quod sunt idem in specie: propter quod dico, quòd modus distinctionis sequitur modum essendi sic, quòd quilibet distinguitur à quolibet, cum quo non convenit, seu cum quo non habet idem esse.

267 Objicies decimo. Separabilitas conceptuum formalium arguit distinctionem formalem, de qua est sermo: atqui in Divinis attributis dantur separabilitates conceptuum formalium: ergo inter attributa Divina datur distinctio formalis, de qua est sermo. Probas maiorem. Separabilitas realis arguit distinctionem realem; ergo separabilitas formalis, seu conceptuum formalium arguit distinctionem formalem. Probas etiam minorem. In Divinis attributis dantur conceptus formaliter diversi: ergo dantur separabilitates conceptuum formalium. Respondeo ad objectionem negando maiorem: ad cujus probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est in eo, quòd separabilitas solùm infert distinctionem in eadem linea; cùm ergo separabilitas sit realis, nihil mirum, quod arguat distinctionem realem; at veró separabilitas conceptuum formalium, de qua loquitur, solùm est formalis in lineâ respectivâ, & intentionali, & sic non potest arguere distinctionem formalem in lineâ Scoti. Igitur conceptus solùm dicuntur formaliter diversi, quia eadem entitas in esse reali potest diversô modô attingi in esse intentionali.

268 Instabis. Ergo in sensu absoluto eadem formalitas Sapientiæ, verbi gratia, est formalitas Omnipotentiæ,

potentiæ, & sic de aliis attributis; sed hoc est falsum: ergo etiam illud, ex quo sequitur. Illatio sequitur ex dictis. Probas minorem. Falsum est, quòd attributorum nomina sint omnino synonima; sed hoc sequeretur, si eadem formalitas Sapientiæ esset formalitas Omnipotentiæ: ergo. Respondeo ad instantiam concedendo illationem, & negando minorem; ad cujus probationem, concessa maiore, nego minorem; quia, ut attributorum nomina non sint synonima, sufficit, quod habeant diversas conceptivitates, ut non sint synonima, inquam, omnino, & etiam in linea intentionali; namque, in linea formali absoluta, fatetur Bacconius nomina attributorum esse synonima, cùm significent unam, & eamdem simplicissimam formalitatem. *Baccon.*

269 Objicies tandem. Deus per intellectum Divinum distinguit attributa: ergo attributa Divina distinguuntur formaliter actu à parte rei. Antecedens est doctrina Resoluti in 1. dist 38. & 39. consequentia liquet; quoniam vel Deus per intellectum Divinum distinguit attributa prout distincta etiam ab intellectu, vel non? Quocumque dato, arguitur distinctio ex natura rei formalis inter attributa: ergo. Respondeo, objectionem istam pendere ab illa quæstione, in qua inquiritur: an Deus, & beati in patria distinguant Divina attributa, de qua in præsenti non ago, quia speciales difficultates, quas involvit, videri possunt solutæ à M. Zagaglia tom. 2. disp. 1. sect. 3. Dico tamen, doctrinâ ipsius Mag. Deum per intellectum Divinum distinguere attributa, prout ipse intellectus præcindit ab eo, quòd sit, vel non sit distinctus. Quemadmodum anima, quæ etiam, præcindendo ab eo, quòd distinguatur à se *Baccon.* *Zagaglia.*

- se ipsa, prout est in corpore, vel non est in corpore, distinguitur ab omni eo, quod anima non est. Restabat solùm respondere ad aliam objectionem, qua Scotus intendit probare distinctionem suam inter intellectum, & voluntatem Divinam; verùm cùm talis objectio sit etiam quasi fundamentum admittentium distinctionem virtualem maximam inter illa attributa, ideo respondebo disp. 4. sectione 1. q. 5. ubi ipsam difficultatem moveo. Ex his tamen, quæ hîc dicta sunt,

270 Deduces, unum attributum includere aliud in lineâ physicâ, & absolutâ (licet unum alterum non includat in linea respectiva, & intentionali) ad quod non est necesse, quòd unum se habeat velut pars respectu alterius, sed satis est quòd habeat identitatem physicam, & formalem cum illo. Quare benè advertit Mag. Lezana dicens, unum attributum non includere aliud, si sumatur secundùm conceptum inadæquatum; includere tamen, si secundùm conceptum adæquatum sumatur. Sic docet tom. 1. tractatu 2. disp. 2. ubi etiam citat Bacconium. Placet igitur hæc doctrina; quia conceptus inadæquatus pertinet ad lineam respectivam; adæquatus vero ad lineam absolutam. *Lezana.*

QUÆSTIO III.

Utrùm inter Essentiam Divinam comparatam cum Relationibus detur Distinctio Formalis Scotica?

271 Resolutio est negativa, & expressa mens Resoluti in 1. dist. 34. art. 5. §. 1. & 3. Hanc defendunt omnes AA. sup. citati n. 247. Antequam tamen *Bacconius.*

tamen resolutionem probem, prænoto primò dari in Deo duplex genus relationis, ad extra scilicet, & ad intra. Relationes ad extra sunt illæ, quibus Deus refertur ad creaturas, ut verbi gratia relationes Creationis, Gubernii, Redemptionis. Sed de his non agitur in præsenti. Relationes ad intra sunt illæ, quibus se mutuo respiciunt Personæ Divinæ; hæ tamen adhuc diverso modo comparari possunt; aliæ namque sunt communes omnibus Personis, ut æqualitas, similitudo, & identitas; (de his etiam non est sermo) & aliæ versantur circa determinatas Personas, faciuntque illas realiter inter se differre, ut Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva, per istam enim differt Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, & quidem realiter; Filius verò per Filiationem, etiam realiter, differt à Patre, & Spiritu Sancto, & tandem per Paternitatem differt realiter à Filio, & Spiritu Sancto Pater Divinus. De istis ergo relationibus comparatis cum Divina essentia movetur præsens quæstio.

Baccon. 272 Prænoto secundo cum Doctore loco sup. citato, quòd entitas formalis essentiæ, in sensu Scoti, sit diversa formaliter ab entitate formali relationum; licèt entitas realis essentiæ ab entitate reali relationum non discriminetur. Quare verum est dicere, in sententia Scoti, *essentia formaliter non est Paternitas formaliter*; cùm juxta Subtilem essentia, & Paternitas sint duæ entitates formales saltem non oppositæ, sed disparatæ. His prænotatis,

273 Probo resolutionem duplici fundamento. *Baccon.* quibus utitur Bacconius loco sup. Primum est. Admissâ Scoti sententiâ, essentia Divina non tantùm ex natura rei formaliter, sed etiam ex natura rei reali-

realiter physicè distingueretur à relationibus; sed hoc non: ergo admittenda non est sententia Scoti. Probo sequelam maioris. Distinctio formalis Scoti admittitur inter essentiam, & relationes, quia essentia, quæ physicè est relatio, formaliter ex natura rei communicatur, non sic relatio; sed essentia non tantùm formaliter ex natura rei, verùm, & realiter physicé communicatur, relatio verò non solùm formaliter, sed nec realiter physice communicatur: ergo admissâ Scoti sententiâ, essentia Divina non tantùm ex natura rei formaliter, sed etiam ex natura rei realiter physicè distingueretur à relationibus, quod est contra Decretalem.

274 Bartholomæus Mastrius tom. I. Theologiæ disp. 2. q. 2. art. 2. n. 42. respondet: *Quod relata contradictoria, de essentia, & relatione enuntiata non sunt contradictoria realia, quæ respiciunt esse, vel non esse rei simpliciter, & absolutè, atque ideo dici solent contradictoria simpliciter prima; sed sunt contradictoria formalia, quæ respiciunt sic, vel sic esse, aut non esse, atque ideo dici solent contradictoria secunda, & salvari possunt per solam distinctionem formalem; hoc patet de communicari, & non communicari.* Sed contra; quia de essentià Divina, non solùm secundùm suam formalitatem, sed etiam secundúm suam realitatem affirmatur, quòd sit communicabilis; sed de relationibus non tantùm formaliter, sed & realiter id negatur: ergo illa contradictoria necdum formalia, sed & realia dici debent. Igitur quoties aliquid realiter conceditur de uno, & negatur de alio, esse, & non esse, sunt contradictoria realia; hoc patet de communicari, & non communicari. *Mastrius.*

275 Se-

275 Secundum, fundamentum est. In Divinis non debet admitti aggregatio; sed hæc necessariò admitteretur, supposita distinctione Scoti inter essentiam, & relationes: ergo. Maior est certa; si enim negetur, destruitur simplicitas Divina. Probo minorem. Tunc ponitur aggregatio in Divinis, quando in eâdem Personâ ponitur una formalitas ex natura rei, quæ non sit alia formalitas ex natura rei; sed juxta Scotum, formalitas essentiæ non est ex natura rei formalitas Paternitatis: ergo. Respondent Scotistæ, quòd cùm essentia, & relationes sint perfectissimè idem ratione infinitatis, non faciunt aggregationem. Sed contra; quia licét essentia, & relationes ex quo realiter identificantur non faciant aggregationem realem, tamen ex quo formaliter ex natura rei distinguuntur, debent facere aggregationem formalem; sed hæc etiam debet à Deo excludi, aliunde dabitur in Deo aggregatio per accidens in esse formali, opposita summæ unitati Divinæ: ergo.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

276 NOstræ resolutioni opponuntur AA. omnes citati sup. n. 254. pro quibus, objicies primo. Eugenius IV. in concilio Florentino hæc definivit: *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem*; sed dedit non tantùm ratione, sed formaliter actu à parte rei: ergo ad hæc salvanda debemus recurrere ad distinctionem formalem ex natura rei, quam admittit Scotus. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, & minore, negando

Eugenius.

con-

consequentiam, Nam si ex eo quòd Pater formaliter à parte rei communicaret Filio omnia præter Paternitatem, argueretur distinctio formalis ex natura rei, etiam argueretur distinctio realis physica inter prædicata absoluta, & relativa; cùm Pater non tantùm formaliter, verùm, & realiter ea omnia Filio suo communicet. Ea propter dico, ea omnia salvari distinctione virtuali maximâ, quam inter essentiam, & relationes admittimus ad salvanda ibi prædicata contradictoria.

277 Objicies secundo auctoritatem D. Anselmi, *Anselmus.* de processione Spiritûs Sancti, dicentis contra Græcos cap. 2. *Non enim idem est esse Deum, quod est esse Patrem, aut Filium*: ergo si aliud est Deum esse, aliud Patrem esse, Deitas formaliter non est Paternitas. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam. Igitur sensus Anselmi est, Patrem non esse Filium, nec Filium esse Patrem; posse tamen Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; cùm Filius, & Spiritus Sanctus existant de Patre. Sic habet idem An- *Anselmus.* selmus cap. seq. *Existit autem Filius, & Spiritus Sanctus de Patre: quare non potest Filius, aut Spiritus Sanctus esse Pater, quànvis Deus sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Ex qua doctrinâ sequitur solùm distinctio realis inter Divinas Personas, non formalis inter essentiam, & relationes.

278 Objicies tertio. Idem non potest esse simul, & non esse; sed idem esset simul, & non esset, si non daretur distinctio Scotica inter essentiam, & relationes: ergo. Maior ab omnibus admittitur. Prob. minorem. Idem esse principium distinctionis, & non

esse simul principium distinctionis, esse generans, & non esse generans, est idem simul esse, & non esse: sed si non daretur distinctio Scotica inter essentiam, & relationes, idem esset principium distinctionis, & non esset simul principium distinctionis, esset generans, & non esset generans: ergo. Maior est certa. Probas minorem. In sensu reali physico idem est relatio Paternitatis, ac essentia, sed Paternitas est principium distinctionis, & est generans; essentia veró nec est principium distinctionis, nec est generans: ergo.

279 Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: idem non potest esse simul, & non esse, sumptum secundùm idem, concedo maiorem; sumptum non secundùm idem, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: sed idem simul esset &c. Sumptum non secundùm idem, concedo minorem: sumptum secundùm idem, nego minorem; ad cujus probationem, concessa maiore, distinguo minorem modo dicto. Unde licèt essentia, & Paternitas sint eadem summa, & simplicissima res, quæ est entitas Divina, hæc eadem entitas Divina est principium, & non est principium distinctionis, est generans, & non est generans; verùm hoc non intelligitur secundùm idem; nam essentia dicitur non generans, & non principium distinctionis sumpta in esse reali absoluto; & Paternitas, quæ est idem essentiæ, & generans, & principium distinctionis, sumpta in esse reali relativo; esse autem realiter absolutum, & realiter respectivum, quànvis sit idem, est realiter diverso modo se habere; siquidem esse realiter absolutum est realiter esse ad se; esse verò realiter respectivum est realiter esse ad aliud, scilicet

cet ad oppositum, adeoque cùm idem diverso modo se habeat, non arguit actu à parte rei aliquam contradictionem, nec distinctionem formalem. Hoc notato, facilè respondetur rationibus, quibus M. Lumbier hanc distinctionem conatur stabilire inter essentiam, & relationes. *Lumbier.*

280 Instabis. Eadem entitas physica non potest habere hunc modum realem essendi ad se, & ad aliud, nisi reperiatur in illa aliqua distinctio ex natura rei: ergo solutio non tollit difficultatem. Respondet Mag. Zagaglia, etiam ex Bacconio, distinguendo antecedens. Si attendatur ad propositiones merè fundatas in Philosophia, transeat: Si attendatur ad principia Fidei, negat; quia, inquit, secundùm determinationem Ecclesiæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt una summa res, & tota distinctio est in Personis, & unitas in essentia. Respondeo tamen ad propositam instantiam disting. antecedens: nisi reperiatur in illa aliqua distinctio ex natura rei in virtute, concedo antecedens: re ipsa, nego antecedens, & consequentiam. Quia difficultas procedit circa distinctionem re ipsa formalem actu à parte rei, quam excludimus, non de distinctione reali in virtute, quam admittimus ad salvanda contradictoria in Divinis, seu illa, quæ talia essent, non data distinctione virtuali. *Zagaglia.*

281 Replicabis. Præciso quocumque intellectu, Paternitas est principium distinctionis, & est producens; essentia verò nec producens, nec principium distinctionis, & hoc quidem formaliter à parte rei: ergo idem essentiæ, & Paternitatis arguit distinctionem formalem actu à parte rei. Antecedens constat per fidem. Probas consequentiam. Se-

mel quôd ex parte intellectùs nostri cognoscatur formaliter essentia, non cognitâ formaliter Paternitate, idem essentiæ, & Paternitatis arguit distinctionem formalem per rationem, seu ex parte intellectùs: ergo similiter, cùm formaliter actu à parte rei Paternitas sit principium distinctionis, & sit generans, non verô essentia, idem essentiæ, & Paternitatis arguit distinctionem formalem actu à parte rei. Respondeo ad replicam, concesso antecedente, negando consequentiam intellectam in sensu Scoti; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia distinctio facta per intellectum est extrinseca objecto, & hac de causa non facit, quòd unum intrinsecè non sit aliud, sed merè per rationem, quod non opponitur simplicitati Divinæ; at verò distinctio formalis actualis, de qua loquitur, facit quod intrinsecé, & absque ordine ad intellectum una formalitas non sit altera, hoc autem stare non potest cum summa simplicitate, qualis datur in Deo. Deinde si ex allato fundamento sequeretur distinctio formalis ex natura rei Scotica, non minus argueretur distinctio realis physica, ut probat Resolutus loco sup. n.273.

282 Objicies quartò. Necessariò admittenda est distinctio realis, vel saltem ex natura rei formalis inter extrema singularia, quorum unum reperitur sine altero; sed essentia Divina reperitur in Filio sine Paternitate: ergo. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: in creatis, concedo maiorem: in Divinis, nego maiorem. Disparitas est longa; quia in creatis es singularis est limitata, & ideo non potest communicari pluribus realiter distinctis; in Divinis verò natura est infinita,

&il-

& illimitata, ideo potest esse in pluribus distinctis realiter. Ad minorem dico, Paternitatem reperiri in Filio eminenter, licêt non formaliter. Unde semper nego consequentiam.

283 Objiicies quintò. Essentia Divina excludit à suo conceptu relationes: ergo distinguitur formaliter ex natura rei ab illis. Respondeo ad objectionem disting. antecedens: essentia Divina excludit à suo conceptu relationes in esse repræsentabili, & per ordinem ad intellectum, concedo antecedens: in esse formali absoluto, quod habet ex natura rei, nego antecedens; siquidem hoc modo omnia in Deo sunt eadem simplicissima, & unica entitas, & formalitas.

284 Objicies sextò. Relationes Divinæ distinguuntur inter se realiter: ergo etiam ab essentia; sed admissa distinctione reali, non est cur negetur formalis ex natura rei: ergo. Antecedens est de Fide. Probas consequentiam. Si relationes Divinæ essent idem cum essentia, utique idem essent inter se: ergo cùm distinguantur, & quidem realiter, inter se, distinguuntur quoque realiter ab essentia. Communis solutio est, id totum verum esse quandò tertium, in quo extrema sunt idem, est singulare, & incommunicabile; aliter tamen si tertium communicabile sit ut in proposito. Hæc solutio bona est. Verùm aliter respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem distinguo antecedens; si relationes Divinæ essent idem cum essentia, utique essent idem inter se eo modo, quo sunt idem cum essentia, concedo antecedens: diverso modo, quo sunt idem cum essentia, nego antecedens. Igitur eodem mo-

do, quo relationes sunt idem cum essentia, sunt quoque idem inter se; nam cum essentia tantùm sunt idem identitate reali essentiæ, & identitate etiam reali essentiæ sunt idem inter se. Hæc objectio erat tota bassis Gilberti Porretani Pictaviensis Episcopi, cujus error damnatus fuit in Concilio Rhemens. sub Eugenio III. Tamen Porretanus postea errorem retractavit, adeoque nec contumax, nec hæreticus nuncupari debet.

Eugenius.

285 Aliæ objectiones, quæ fieri possunt ex eo, quòd Personalitas D. Verbi terminet immediatè humanitatem, non sic natura, & similes salvari optimè possunt virtute distinctionis virtualis, quam admitto ad salvanda contradictoria physica in Divinis. Ad solvendas verò difficultates, quæ formari possunt ex verbis Decretalis nempe: *Est Pater qui generat, Filius qui generatur, &c. ut distinctiones sint in Personis, & unitas in essentia*, & aliæ, quæ ex SS. PP. præcipuè ex D. Augustino fieri solent, advertendum existimo cum Mag. Zaglia, quod semper relatio debet accipi, retentâ habitudine ad oppositum, quòd, si hoc modo non accipiatur, caret ratione relationis, & solùm habet rationem absoluti. Sed quoniam relatio, adhuc retentâ habitudine ad oppositum, dupliciter intelligi potest, & in hac etiam differentia consistat objectionum evasio necesse est differentiam illam attentè observare sequentibus verbis:

Zagaglia.

286 *Ubi intelligendum est, quòd relationem, retentâ habitudine ad oppositum, comparari ad essentiam potest intelligi dupliciter. Uno modo, quod relatio cum illa habitudine præcisè comparetur ad essentiam, & isto modo omnibus modis se tenentibus*

ex

ex parte rei incidit in identitatem essentiæ, ne sit aggregatio quarumcumque entitatum ex natura rei, ut visum est. Alio modo, ut tam essentia, quàm relatio comparantur ad oppositum: ut puta essentia in Patre, & paternitas comparantur ad filiationem: & isto modo loquuntur auctoritates August. quod essentia, & relatio differunt ex natura rei: non quòd ad invicem, sed à termino opposito; & hoc est verum saltem ratione alterius; relatio enim differt ab opposito, licèt non essentia. Et quod in ordine ad oppositum, & non ad invicem præcisè debeat concedi ista distinctio patet per auctoritates August. quando enim dicit: non eo Verbum quo essentia, probat; quia Verbum relativè dicitur, essentia ad se; igitur patet, quod dicit illa distingui, quia Verbum dicitur ad dicentem, essentia non: & ita distinguuntur non ab invicem præcisè, sed ab opposito: & sic solvuntur suæ auctoritates.

287 *Item patet de Decretali, ponens enim, quòd essentia, & tres personæ sunt idem, & distinctæ, addit, ut distinctiones sint in personis, unitas in natura: hoc patet, quia ponens unitatem, & distinctionem non loquitur de distinctione eorum adinvicem præcise, sed de distinctione oppositionis, quæ est in personis distinctis, & sic processerunt omnes illæ deductiones tam de August. quàm de Decretali.* Sic clarissimè procedit Bacconius in 1. dist. 34. art. 6. *Bacconius.*

288 Et hæc sufficiant pro distinctione Scotica, quæ, etsi totis viribus maneat rejecta, & tam à gradibus metaphysicis creatis, quàm à perfectionibus Divinis excludatur omnino in Schola Resoluti Præceptoris, imò & in omni Schola, demptâ Sub-

 tili,

tili, absolvenda tamen est à censuris, & Ecclesiæ damnationibus. Unde immeritò opinatur aliqui eam esse temerariam, & parum tutam; cùm in Schola Subtilissima tantorum sapientissimorum virorum publicè tueatur. Mihi verò satis erat unicus Scotus pietatis, & sapientiæ jubar.



SECTIO II.

De Distinctione Formali Bacconica.

QUÆSTIO I.

Utrùm inter gradus methaphysicos creatos detur Distinctio Formalis Bacconica?

289 RESolutio est affirmativa, ex eodem Doctore in 1. dist. 2. q. 2. art. 3. §. 1. quem sequuntur Mag. Aymus in Metaph. p. 1. dist. 1. q. un. art. 1. ℣. *Resolutio* 3. Mag. Zagaglia tom. 2. disp. 7. de prædicatis quidditativis Dei sect 2. Mag. Garcia in Megalog. dist. 2. q. 1. art. 3. § 4 n. 504. Mag. Blasco, & omnes Discipuli ejusdem Doctoris Resoluti. Priusquam resolutionem probem, prænoto primò, distinctionem Bacconicam propriè dici formalem intentionalem, quia in eodem objecto, & entitate invenit Doctor formalitates distinctas per ordinem ad intellectum; ideoque licèt dicatur distinctio rationis, non est quia sit ficta per rationem, sed quoniam dicit ordinem ad illam.

Baccon. Aym. Zagaglia. Garcia. Blasco.

290 Quod autem entitas simplex, in lineà physicâ,

ficâ, possit esse multiplex per ordinem ad intellectum, seu in lineâ intentionali, probat Resolutus multiplici exemplo. Primum est: *Ponatur enim quòd in melle dulcedo, & color essent ipsa substantia mellis, hoc posito, licèt non distinguerentur propriis rationibus absolutis formalibus perfectionalibus, patet tamen, quòd distinguerentur ex natura rei in objiciendo, aut repræsentando; mel enim per rationem formalem substantiæ esset alimentum, & objectum nutritivæ; per rationem coloris, quæ ponitur ex natura rei, esset visibile; per rationem dulcedinis gustabile; sic in proposito.* Bacconius.

291 Secundum declaratur per exemplum in Theologia morali, & fundatur in doctrinâ Gregorii. *Certum est enim* (inquit Resolutus) *quòd facies Christi in judicio, quantum est ex parte sui, est ejusdem dispositionis, bonis tamen repræsentabilis est ut amabilis, malis autem ut terribilis.* Et paulò infra. *Aliud est exemplum de Scriptura Christi in terra: ubi dicit quædam glosa, quòd licèt unum esset genus Scripturæ, cuilibet tamen ræpræsentabat sua delicta. Aliud exemplum* (prosequitur Doctor) *sicut dicunt aliqui de loquela Apostolorum post susceptionem Spir. S. quod in uno sono secundùm rem repræsentabantur distincta idiomata diversis audientibus.* Bacconius

292 Prænoto secundò, distinctionem hanc formalem intentionalem minorem esse distinctione reali physicâ entitativâ; cùm reperiatur inter duas formalitates ejusdem entitatis, & sic compatitur cum identitate physicâ, in quo convenit cum distinctione Scotica, reperiturque inter animal, & rationale verbi gratia, quæ physicè entitativè sunt omnino

idem,

Garcia. idem. Hinc observo cum Mag. Garcia loco sup. citato, sed §. 2. illa distingui formaliter intentionaliter ex natura rei, ut vult Bacconius, quæ ex sua ratione formali habent diversas quidditates, & exigunt attingi per diversos conceptus, & explicari per diversas definitiones. Hoc totum liquet in eodem animali, & rationali hominis, quæ licèt sint physicè omnino idem, formalitas tamen animalis explicatur per principium sentiendi, & formalitas rationalis per principium ratiocinandi, quod totum fit per ordinem ad intellectum. Prænoto tértio, distinctionem intentionalem, de qua est sermo, non esse tantùm fundamentalem, ut aliqui existimant, sed esse formalem ante intellectum, etsi dicat ordinem ad illum. Fundamentum est; quia animal ut cognoscibile non est formaliter rationale ut cognoscibile; cùm formaliter possit cognosci sine rationali.

293 Prænoto quarto, (nota bene) prædictam Bacconii distinctionem differre à distinctione formali Scotica non in eo, quód ista sit de linea physica, illa non, ut ego aliquando existimavi, vestigia terens Mag. Garciæ loco sup. sed n. suo 493. in fine, & n. 496 in principio ubi inquit: *Differt ergo distinctio intentionalis Bacconica â distinctione formali Scotica* 1. *quia Scotica est de linea physica; Bacconica verò de linea intentionali.* Hoc, inquam, sustinui olim contra Modernum quemdam Bacconistam contrarium asserentem; propter rationes quibus utebatur, & quæ mihi parvi momenti erant. Re ergo bene inspectâ, & satis observatâ doctrinâ subtilissimi Scoti, & explicatione commentatorum, non placet, nec placere potest hæc differentia citati

Garcia.

ti Garciæ ſupponentis diſtinctionem Scoticam in linea phyſica. Docet enim Maſtrius in Log. diſp. 1. q. 5. art. 2. n. 721. *Illa diſtingui ex natura rei formaliter* (in ſenſu Scoti) *quæ habent aliam, & aliam formalitatem conceptibilem, ita ut utrumque definiendo, non erit idem adæquatè conceptus objectivus utriuſque.* Et citat Tatar. Bonet. Bolif. Fab. Meruiſſ. ſic eamdem Scoti diſtinctionem interpretantes. Item Mag. Lumbier, fortiſſimus hujus diſtinctionis propugnator, explicans mentem Scoti tom. 1. Theolog. q. 14. art. 2. n. 746. inquit: *Nota valde, Scotum inter animal, & rationale eamdem omnino identitatem phyſicam, & rigoroſam, quam ponimus omnes, admittere æquè ſtrictam, & cum æquali rigore. Unde non ſolùm inſeparabilitatem, ſed ſtrictam admittit identitatem phyſicam, ita ut omnes propoſitiones de linea identitatis, quas nos aſſerimus inter formalitates identificatas, v. g. inter animal, & rationale, admittat ipſe.* His ergo, & aliis benè inſpectis, ſequitur, quòd diſtinctio Scotica non ſit de linea phyſica.

Maſtrius. Tatar. Bonet. Bolif. Fab. Meruiſſ. Lumbier.

294 Arbitror igitur, Bacconicam diſtinctionem à Scoticâ in uno tantùm differre, in cæteris verò cum illâ convenire. Convenit ergo cum Scoticâ; quia neutra eſt de lineâ phyſicâ; neutra eſt tantùm fundamentalis; utraque eſt ex natura rei; utraque reperitur inter formalitates ejuſdem entitatis. Differt ſolum Bacconica à Scotica; quia iſta datur inter formalitates etiam ad invicem comparatas; illa verò ſolùm reperitur inter formalitates per ordinem ad intellectum. Et licét dicat Bacconius (nota benè) ſuas formalitates habere diſtinctas repræſentabilitates ex natura rei ante intellectum,

hoc

hoc tamen verum est in quantùm important respectum ad intellectum, minimè si comparentur ad invicem, ut vult Scotus. *Et sic habes conclusionem contra Scotum* (verba sunt Resoluti quodl. 3. q 6. art. 3. §. 4. in fine) *Scilicet quòd distinguuntur quantum ad rationes absolutas solùm in cognitione objectiva in intellectu, non in esse formali primo. Et contra Aureolum, quòd repræsentativitates illæ respectivæ distinguuntur ante opus intellectûs; sicut repræsentativitates in collo columbæ ante visionem eorum.* Itaque formalitates Scoti sunt etiam subjectivæ; Bacconii verò purè objectivæ. His attentè prænotatis,

Baccon.

295 Probo resolutionem fundamento, quod est Achilles Bacconistarum. Illa distinguuntur formaliter intentionaliter, quæ habent cognoscibilitates formaliter diversas; sed animal, & rationale v. g. habent cognoscibilitates formaliter diversas: ergo. Maior est certa. Probo minorem. Illa habent cognoscibilitates formaliter diversas, quorum unum cognosci potest formaliter, quin aliud formaliter cognoscatur; sed animal formaliter cognosci potest, quin rationale formaliter cognoscatur: ergo Minor liquet exemplo communissimo, & celeberrimo hominis à longè venientis, de quo fusè Mag. Garcia loco citato, & Palanco in Log. tract. 3. de univ. q. 5. n. 6. & seq. Probo maiorem. Diversa cognitio formalis supponit diversum cognoscibile formale: ergo illa habent cognoscibilitates formaliter diversas, quorum unum cognosci potest formaliter, quin aliud formaliter cognoscatur. Probo antecedens à paritate amoris diversi supponentis diversum amabile.

Garcia.
Palanco.

296 Res-

296 Respondet Franciscus Palanco loco sup. sed n. suo 26. animal rationale à parte rei habere distinctas cognoscibilitates fundamentaliter tantùm, non formaliter. *Nam* (inquit) *illæ cognoscibilitates actualiter à parte rei non sunt nisi unica cognoscibilitas, seu capacitas, quam habet entitas hominis, ut cognoscatur inadæquatè, cognitione exprimente rationale, & abstrahente ab animali, vel cognitione exprimente animal, & abstrahente à rationali.* Sed contra manifestè; quia ut docet ipse Palanco q. 5. citati loci præcipue n. 22. inter animal, & rationale datur distinctio rationis objectiva cum fundamento; sed tale fundamentum nihil aliud est, quàm cognoscibilitates formaliter diversæ ex parte objecti: ergo istæ cognoscibilitates differunt formaliter ex parte objecti. Si enim tales cognoscibilitates essent solùm ab intellectu factæ, non daretur in re fundamentum ad illas. Deinde, vel distinctio objectiva, quam cum communi Thomistarum, admittit Palanco, mediat inter formalitates intrinsecé formaliter diversas ante intellectum, & absque ordine ad illum; vel post intellectum tantùm; vel ante intellectum formaliter, sed cum ordine ad illum? Si primum, confunditur distinctio Thomistarum cum formali Scotica. Si secundum, confunditur cum formali Nominalium; sed neutrum admittitur in Scholâ Thomisticâ: ergo solùm admitti debet tertium, nempe, quòd sit ante intellectum formaliter, sed cum ordine ad illum, quod vult Bacconius, & re ipsa fateri debent Thomistæ; cum Resolutus multoties fateatur solùm hanc esse mentem D. Thomæ. Vide infra dic. n. 394. *Palanco.* *Palanco.*

297 Probo resolutionem ulterius, & etiam contra

tra laudatum Palanco. In tantùm in esse cognoscibili non distinguerentur formaliter gradus ejusdem entitatis à parte rei, quia cognoscibilitas sequitur ad entitatem, & ubi est unica, & simplex entitas, non potest esse nisi unica, & simplex formaliter cognoscibilitas; sed hæc ratio est nulla: ergo in esse cognoscibili distinguuntur formalitet gradus ejusdem entitatis á parte rei. Maior est doctrina citati A. in qua maximé fidunt adversarii communiter. Probo minorem. Simplex entitas physica potest esse multiplex formaliter in esse repræsentabili respectivè ad visum: ergo etiam in esse intelligibili respectivè ad intellectum. Aut cur non? Probo antecedens his verbis Resoluti in 1. d. 2. q. 2. art. 3.

Baccon. §. 1. ℣. *sed ego dico* propè finem: *Patet in collo collumbæ quando est in luce, videtur. enim color indicus quantùm ad rationem absolutam rubedinis, ac si in collo columbæ præexigerentur tales colores secundùm esse absolutum distincti; sic in proposito.* Tum sic; sed isti colores non aliter nisi ex natura rei repræsentantur; cùm visus non possit reduci ad actum videndi, nisi color præsupponatur existens in esse objicibili: ergo De his idem Resolutus sup.

Baccon. citatus n. 290. & 291.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

298 NOstræ resolutioni opponuntur Mag. Lumbier tractatu de scientia Dei in

Lumbier. Palanco. Appendice de distinctione Bacconica, & Scotica n. 914. Illustrissimus Palanco in log. tractatu 3. de univers, q. 3. n. 13. &, ut verbo dicam, omnes RR. extra nostram Scholam, licét multi eam re ipsa fateantur,

teantur, & solis verbis negent. Igitur pro laudato Lumb. Objicies primo. Ista distinctio fundatur in capacitate simplicis entitatis, ad hoc ut intellectus formet diversas congnitiones, vel diversa idola, unum idolum de animali, & aliud de rationali; atqui capacitas nuda ad idola, vel cognitiones distinctas non potest, esse distinctio formalis intentionalis: ergo talis non est. Respondeo ad objectionem concessa maiore, negando minorem, & consequentiam; semel enim, quód simplex entitas habeat capacitatem ad diversas cognitiones, necessarió debet præcontinere formalitates intentionaliter diversas; quia, ut ex eodem Lumb. sagaciter notat Garcia hic n. suo 549. ℣. *Respondeo*, cognitio identificatur cum objecto formaliter intentionaliter: *Garcia* ergo data in objecto capacitate ad cognitiones formaliter diversas, dantur utique in ipso formalitates intentionaliter diversæ, seu spectantes ad lineam intentionalem. Solutio liquet ex fundamentis resolutionis.

299 Objicies secundò pro eodem Lumb. eodem loco. Nulla virtus multiplicatur realiter à sola capacitate ad diversos effectus suos, etiam intrinsecos: *Lumbier.* ergo objectum nequit fieri realiter formaliter multiplex à vi, & ordine ad multiplicem cognitionem. Probas antecedens. Si aliqua virtus ita multiplicaretur maximè intellectus noster in actu primo à multiplici cognitione producibili, & intrinsecè receptibili in illo; sed hoc solùm dici potest impropríé, & terminativè: ergo idem dicendum de objecto, ac per consequens nulla virtus &c. Celebris est apud Bacconistas modernos hæc paritas intellectûs, qua utitur Mag. Lumbier ad nostram distinctionem

ctionem impugnandam; multi enim illius pondere pressi acquiescere non possunt Garciæ solutionibus, quibus doctissimè satisfacit à n. suo 554. licét n. 548. in obsequium Lumb. hæc habeat: *Adeo enim ipsius ingenium colimus, ut si ejus argumenta probabiliter solvamus, aliorum objectionibus satisfactum iri putemus.* Nihil ominus cum laudato Garcia,

Garcia.

300 Respondeo primo ad objectionem disting. antecedens: nulla virtus multiplicatur &c. Si sit virtus activa, concedo antecedens: Si sit virtus objectiva, nego antecedens; ad cujus probationem nego maiorem, & concessa minore, nego consequentiam. Magnum ergo reperitur discrimen inter virtutem activam, & objectivam, seu inter potentiam, & objectum; objectum enim fit multiplex formaliter à multiplici cognitione, quia identificatur cum cognitione; cognitio autem non identificatur cum potentia, & inde à multiplici cognitione non est ex quo arguatur multiplicitas formalis potentiæ, sed tantùm virtualis. Unde, si in objecto non esset diversa cognoscibilitas formalis, non posset identificari cum diversa cognitione, & hinc fit, quòd (ut ex Bacconio docet ipse Garcia) ea, quæ virtualiter tantùm in aliquo continentur, non arguant multiplicitatem, sive distinctionem formalem; aliter tamen si formaliter contineantur.

301 Instabis cum moderno quodam Bacconista. Sicut intellectus antequam producat cognitiones, tantùm illas continet in virtute producendi, ita objectum, antequam terminet actualiter cognitiones solùm habet virtutem illas terminandi: ergo sicut continentia cognitionum in intellectu est tantùm

tùm virtualis, ita continentia cognitionum in objecto. Probas antecedens. Objectum non potest continere formaliter cognitiones diversas, antequam identificetur cum ipsis cognitionibus; sed antequam terminet actualiter cognitiones, non identificatur cum ipsis cognitionibus: ergo. Respondeo ad instantiam concedendo totum, ex quo nihil sequitur contra multiplicitatem cognoscibilitatum in objecto. Igitur aliud est, quòd objectum, antequam terminet cognitiones, contineat illas formaliter, aliud verò, quòd contineat formaliter cognoscibilitates, antequam terminet cognitiones. Primum verum est, quia objectum non potest continere formaliter cognitiones, antequam cum illis identificetur, & certè antequam veniat cognitio, non potest objectum identificari cum cognitione; cùm tamen diversa cognitio formalis arguat diversum cognoscibile formale, non potest objectum terminare cognitiones formaliter diversas, quin contineat formaliter diversas cognoscibilitates.

302 Non consistit ergo distinctio formalis Baconica in diversa cognitione formali formaliter contenta in objecto, sed in diversa cognoscibilitate; licèt quando advenit cognitio, identificetur ista cum objecto in esse cognoscibili. Quare solùm dici potest, quòd objectum contineat formaliter diversas cognitiones unam animalis, rationalis alteram, sumptis cognitionibus in esse repræsentativo, objicibili, & intentionali. Hinc est observandum, aliam esse cognitionem sumptam ex parte modi attingendi, & aliam sumptam ex parte objecti, & in esse repræsentabili; sicut alius est conceptus formalis, & alius conceptus objectivus. Et sic cognitiones

Angeli, & hominis erga animal, sumptæ ex parte modi attingendi, sunt diversæ, licèt ex parte objecti, seu in esse repræsentabili, sint idem.

303 Respondeo secundo ad objectionem negando quòd intellectus non sit formaliter multiplex à multiplici cognitione, seu in esse respectivo per ordinem ad objectum. Audiatur fidelissimus Bacconista Mag Zagaglia tom. 2. disp. 1. de Attributis Divinis in communi lectione 1. §. 3. n. 30. ℣ sed contra; *Ex parte intellectûs cognoscentis, sive cognoscitivi sunt ex natura rei diversæ cognoscitivitates per ordinem ad objectum per hoc, quòd potest in illo distinguere plures rationes etiam entitativè indistinctas, & hoc habet ex natura sua; qui licèt entitativè sit unus, tamen formaliter in esse respectivo per ordinem ad objectum dicitur multiplex.* Et concludit: *Hæc doctrina habetur ex Bacconio inp. dist. 39. art. 1. §.9.* legi Doctorem in hac parte, & hæc inveni: *Ex distinctione formali passiva ipsarum sc. creaturarum in esse cognito coæxigitur concomitanter, seu resultativè, aut consequenter distinctio formalis correspondenter in cognitione activa.* Licèt enim, etiam juxta eumdem Doctorem in 1. dist. 36. q. 1. art. 3. §. 4. & 5. agens non requirat distinctas virtutes ad distinctas actiones; hoc est intelligendum in esse absoluto, non in esse formali respectivo.

Zagaglia.

Bacconius.

304 Objicies tertio cum Pàlanco. Cognoscibilitas sequitur ad entitatem: ergo ubi est unica, & simplex entitas, non potest esse nisi unica, & simplex formaliter cognoscibilitas, adeoque implicat distinctio in esse cognoscibili in eadem entitate. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando

Palanco.

gando consequentiam. Solùm infertur ex tali antecedente, non posse reperiri esse intentionale absque esse physicum, sicut reperiri nequit relatio sine fundamento; & in hoc sensu verum est, cognoscibilitatem sequi ad entitatem. Possunt tamen supra eamdem physicam entitatem fundari multæ formalitates intentionales, quod probat Resolutus his verbis: *A materia enim prima oriuntur infiniti respectus ad omnes formas naturales. ut habetur* 12. *Metaphysic. à Commentatore comm.* 11. *& ens, & unum, & bonum sunt una essentia significata modis vel respectibus diversis.* Sic habet in 1. dist. 2. q. 2. §. 2. ℣. *Ad famosam.* Si ergo eadem materia continet plures formas, quare eadem entitas non continebit plures cognoscibilitates? Vide sup. dicta n. 297. *Bacconius.*

305 Instabis. Esse intentionale infallibiliter supponit esse physicum: ergo diversum esse intentionale debet supponere diversum esse physicum. Respondet ad instantiam dato antecedente, negando consequentiam. Ratio est, quia esse physicum est fundamentum ad esse intentionale; cùm ergo res infallibiliter supponat suum fundamentum, inde esse intentionale supponit esse physicum. At vero in eadem entitate fundari possunt multæ, & diversæ cognoscibilitates, ut constat ex exemplis allatis à Doctore sup. citato n. 290. & 291. maximè cùm identitas physica non opponâtur distinctioni intentionali, ut dictum est sup. n. 212. & ideo diversum esse intentionale non supponit diversum esse physicum. Dixi, *dato antecedente*, siquidem esse intentionale impossibilium, imò possibilium nondum existentium non supponit esse physicum, sed tantùm esse subjectivum.

 306 Ob-

306 Objicies quarto etiam cum Palanco. Si à parte rei in eâdem entitate essent distinctæ cognoscibilitates, tales cognoscibilitates essent inter se distinctæ, & identificatæ cum tertio, nimirum, cum ipsa entitate; sed non minus implicant cognoscibilitates inter se distinctæ, & identificatæ cum tertio, quàm formalitates inter se distinctæ: ergo cùm hoc secundum repugnet, ita repugnabit primum. Respondeo ad objectionem disting. maiorem: tales cognoscibilitates essent inter se distinctæ in linea intentionali, & identificatæ cum tertio in lineâ physicâ, concedo maiorem: in eâdem lineâ, nego maiorem. Deinde nego minorem, & consequentiam. Non repugnat, quòd formalitates sint distinctæ in linea intentionali, licèt identificentur physicè, juxta dicta n 290. usque ad n. 297. Implicat verò quod distinguantur in esse absoluto, positâ identitate physicâ, juxta dicta etiam num. 220. & 221.

307 Objicies quinto. Distinctio Bacconica non differt à distinctione Scoticâ; sed hæc non admittitur: ergo neque illa. Probas maiorem. Distinctio Bacconica est distinctio formalis intentionalis seu de linea intelligibili; sed talis est Scotica: ergo. Maior constat ex dictis. Probas minorem authoritate ipsius Scoti in 1. distinct. 2. q. 7. §. *Secundo oportet* ℣. *Respondeo, non est: Potest autem vocari differentia rationis, sicut dicit Doctor quidam, non quòd ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, secundùm quod quidditas est objectum intellectûs.* Quæ verba explicans Franciscus Lychetus famosissimus Scotista hæc habet: *Dicuntur distingui* *ra-*

Scotus.

Lychetus.

ratione, quia sunt duæ quidditates conceptibiles: sive quia sunt duo objecta formalia distinctè conceptibilia: & sic ratio accipitur hic pro quidditate conceptibili: ergo distinctio Scotica est formalis intentionalis, seu de lineâ intelligibili.

308 Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem, concessa maiore, distinguo minorem: talis est Scotica, etiam, concedo minorem: solùm, nego minorem: ad cujus probationem per authoritatem Scoti, & commentatoris, dico, verum esse distinctionem Scoticam vocari distinctionem rationis, ut ratio accipitur pro quidditate rei, sicut vult quidam Doctor, nempe Varro, quem citat, & sequitur Scotus; & ita negari nequit, distinctionem Scoticam dari inter formalitates, seu objecta distinctè conceptibilia. Verùm Scotus (nota) necdum per respectum ad intellectum, sed etiam sine quocumque ordine, & respectu ad illum ponit suas formalitates, quapropter admittit distinctionem formalem etiam in esse subjectivo in re: Bacconius verò solùm ponit distinctionem inter formalitates in esse objectivo, seu objicibili, & repræsentabili. Vide sup. dicta n. 294. *Varro.*

309 Objicies sexto. In tantùm daretur distinctio formalis intentionalis inter animal, & rationale, in quantum animal posset cognosci, non cognito rationali; sed hæc ratio nulla est: ergo. Maior constat ex dictis. Probas minorem. Licèt ens possit cognosci, non cognitis differentiis, non sequitur, quòd distinguatur formaliter intentionaliter à differentiis: ergo licèt animal cognosci possit, non cognito rationali, non sequitur, quòd distinguatur formaliter intentionaliter à rationali.

Garc. Lumb. 310 Mag. Garcia hîc recurrit primo cum Lumberio ad conceptibilitatem adæquatam, & inadæquatam: inquit ergo, animal habere plenam conceptibilitatem respectu rationalis, cùm sit conceptibile absque sapore rationalis; ens verò non habere conceptibilitatem plenam, seu distinctam adæquatè à differentiis; & utitur exemplo plumarum avis, quæ si immergantur visco sunt ab illo inumdabiles. In primis nihil probat A. hoc exemplo; quia plumæ, quantumvis visco immergantur, semper habent conceptibilitatem adæquatè distinctam à visco: hac ergo de causa, licét ens sit invisceratum in differentiis, semper habet conceptibilitatem plenam, seu adæquatè distinctam à conceptibilitate differentiarum; non minus quàm animal, quod diversum est in esse conceptibili à rationali, licèt physicè sit rationale. Igitur

311 Respondeo ad objectionem propositam, concessa maiore, negando minorem; ad cujus probationem nego antecedens, & procedo cohærenter in utroque, etiam doctrinâ Resoluti in 1. dist. 25. art. 3. Quare transcendentia non impedit quominus conceptus transcendens possit adæquate distingui formaliter in esse objicibili à suis differentiis, sed solùm, quòd inferiora non ita perfectè, & adæquatè distinguantur à tali conceptu. *Bacco 1.*

312 Instabis. Differentiæ entis non possunt distingui formaliter intentionaliter adæquatè ab ente: ergo neque ens à differentiis. Antecedens constat; quia differentiæ entis non possunt non objici, ut proximè, & formaliter intelligibiles cum inclusione entis. Probas consequentiam. Quando unum extremum non distinguitur formaliter intentionaliter

liter adæquatè ab alio, etiam illud non potest distingui formaliter intentionaliter adæquatè à primo: ergo. Probas hoc antecedens à paritate distinctionis realis physicæ.

313 Respondeo ad instant. Concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem nego antecedens; ad cujus probationem concedo antecedens de paritate extremi physici, & nego consequentiam; quia distinctio realis physica non est distinctio conceptuum, sicut est distinctio formalis intentionalis; & sic potest unum extremum intentionale adæquatè, & perfectè concipi, sine sapore alterius non inclusi aliquô pactô in illo; cùm tamen hoc ita conceptum possit esse de conceptu alterius, & in illo includi essentialiter, non potest tunc alterum adæquaté concipi sine sapore illius: sic in proposito de ente, & differentiis. Tandem, ens est conceptum sine concernentia ad differentias, quia absoluté sumptum nec explicitè, nec implicitè illas continet; differentiæ verò, estò non objiciantur sub conceptu explicito entis, non psunt præcindi implicité, cúm non possint non objici cum inclusione entis.

314 Replicabis. Ergo non datur distinctio formalis intentionalis adæquata inter ens, & differentias Respondeo ad repl. disting. illatum: non datur distinctio adæquata mutua, concedo illationem; non mutua, nego illationem. Distinctio ista semper est adæquata, quia ex parte entis nec explicité, nec implicitè objiciuntur differentiæ. Non est distinctio mutua, quia ex parte differentiarum semper objicitur ens saltem implicitè.

315 Objicies septimo. Distinctio formalis Bac-

conica resultat ab esse physico; atqui est inintelligibile, quòd ab esse physico resultet distinctio: ergo. Maior est doctrina Bacconistarum Probas minorem. Ab esse physico resultat indistinctio: ergo inintelligibile est, quòd ab esse physico resultet distinctio; siquidem ex eadem entitate non potest resultare distinctio, & indistinctio; cùm opponantur. Probas antecedens. Unitas resultat ab esse physico: ergo ab esse physico resultat indistinctio. Probas antecedens. Unitaest proprietas entis: ergo resultat ab ente; sed esse physicum est ens; ergo unitas resultat ab esse physico.

316 Respondeo ad objectionem, concessa maiore, negando minorem; ad cujus probationem distinguo antecedens: ab esse physico resultat indistinctio transcendentalis, concedo antecedens: indistinctio formalis intentionalis, nego antecedens; ad cujus probationem distinguo antecedens eodem modo, & utor eádem distinctione in antecedenti illius probationis. Igitur absque terminorum repugnantia potest ab eodem esse physico resultare distinctio, & indistinctio, dummodo non sint in eodem genere. Indistinctio, quæ resultat non est formalis intentionalis, sed est tantùm indistinctio transcendentalis, quæ sequitur esse physicum; distinctio verò est formalis intentionalis, & sequitur formalitates ejusdem entitatis.

317 Objicies octavò. Ista distinctio juxta Bacconistas reperitur inter formalitates realiter physicè identificatas; sed inter formalitates realiter physicè identificatas non datur distinctio formalis, adhuc intentionalis: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Inter formalitates realiter physicé identificatas

tificatas non datur diſtinctio numeralis: ergo neque diſtinctio formalis, adhuc intentionalis. Antecedens liquet. Probas conſequentiam. Diſtinctio formalis intentionalis eſt maior diſtinctione numerica: ſed inter formalitates realiter phyſicè identificatas non datur diſtinctio numerica: ergo neque formalis intentionalis. Probas maiorem. Diſtinctio formalis intentionalis datur inter res magis intimas: ergo eſt maior diſtinctione numericâ.

318 Reſpondeo ad objectionem, conceſſa maiore, negando minorem; ad cujus probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam; ad cujus probationem nego maiorem; quia maior diſtinctio non ſumitur ex maiori intimitate, ſed ex maiori negatione identitatis unius extremi cum alio; & cum diſtinctio formalis intentionalis non dicat maiorem negationem identitatis, ideo non eſt maior diſtinctione numerica; quia diſtinctio numerica dicit negationem identitatis realis phyſicæ, quam non dicit formalis intentionalis.

319 Objicies nono. Diſtinctio intentionalis Bacconica conſiſtit in illis diverſis cognoſcibilitatibus, quas objectum à parte rei phyſicè idem dicit ad intellectum; ſed hoc implicat: ergo. Maior eſt doctrina Scholæ. Probas minorem. Implicat, quòd objectum naturale dicat reſpectum, & ordinem ad actionem artificioſam; ſed objectum à parte rei phyſicè idem eſt objectum naturale; deinde cognitio, ſeu actus intellectûs dividens, eſt actio artificioſa: ergo cum in hoc conſiſtat diſtinctio intentionalis Bacconica, implicat talis diſtinctio. Probas maiorem. Implicat, quòd actio artificioſa referatur ad objectum naturale: ergo etiam quòd objectum naturale

turale dicat respectum, & ordinem ad actionem artificiosam.

320 Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem nego maiorem; ad cujus probationem nego antecedens; non enim repugnat, quòd formalitates objectivæ, quànvis distinctæ ante intellectum, dicant respectum ad ipsum intellectum potentem eas dividere. Unde partes quantitatis artificialiter dividi possunt, etsi sint naturaliter distinctæ. Potest etiam ars repræsentare opera naturæ, quànvis ea efficere non possit: sic pictor repræsentat flores, licèt sint opera naturæ.

321 Objicies decimo. Distinctio, de qua loquitur, est ante præcisionem intellectûs; atqui antequam intellectus præcindat animal à rationali, adhuc animal non est actu à rationali distinctum: ergo. Maiorem concedunt Bacconistæ. Probas minorem. Antequam intellectus præcindat animal à rationali, animal tantúm est in potentia separatum à rationali: ergo. Probas antecedens. Intellectus præcindens animal à rationali dividit intentionaliter formalitatem animalis à formalitate rationalis: ergo antequam intellectus præcindat animal à rationali, animal tantùm est in potentia separatum à rationali. Probas nunc consequentiam sup. Ante separationem intentionalem non potest dari distinctio intentionalis: ergo, si antequam intellectus præcindat animal à rationali, animal tantùm est in potentia separatum à rationali, sequitnr, quòd antequam intellectus præcindat animal à rationali, adhuc animal non est actu à rationali distinctum. Probas antecedens. Ante separationem intentionalem non potest

poteſt dari ſeparatio intentionalis : ergo neque diſtinctio.

322 Reſpondeo ad objectionem, conceſſâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem, conceſſo antecedente cum ſua probatione, nego conſequentiam; ad cujus probationem nego antecedens; ad cujus probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam; quia diviſio vel ſeparatio intentionalis eſt illa, quæ tantùm dividit, & ſeparat, & ideo ante diviſionem non poſſunt partes ſupponi diviſæ, aut ſeparatæ; poſſunt tamen ſupponi diſtinctæ, eo quia diviſio non ſit ratio eas diſtinguendi. Unde diſtinctio in rebus, & in formalitatibus ſemper provenit à natura; diviſio verò de qua loquitur, ſeu præciſio, licèt ex parte naturæ, ſeu objecti ſupponat fundamentum, nempe diſtinctionem objectivam, ſemper fit per actum intellectûs, & ſic optimè poteſt diviſio intentionalis ſeu ſeparatio ſupponere partes diſtinctas, quànvis non diviſas. Hoc habet locum etiam in partibus continui, quæ antecedenter ad diviſionem ſunt actu diſtinctæ.

323 Objicies undecimo. Sicut ſe habet identitas ad diſtinctionem, ita diſtinctio ad identitatem; ſed quæ à parte rei ſunt phyſicè diſtincta, non poſſunt identificari intentionaliter: ergo quæ à parte rei ſunt phyſicè identificata non poſſunt intentionaliter diſtingui. Reſpondeo ad objectionem, conceſſa maiore, negando minorem; non enim implicat quod in diverſis lineis idem dicat identitatem, & diſtinctionem, ut dicam infra diſp. 5. n. 540.

324 Inſtabis. Ea, quæ à parte rei ſunt phyſicè diſtincta, ſunt etiam diſtincta intentionaliter; ſed quæ ſunt diſtincta intentionaliter nequeunt identificari

ficari intentionaliter; aliter essent distincta simul, & identificata in eadem linea, quod implicat: ergo ea, quæ à parte rei sunt physicè distincta nequeunt intentionaliter identificari. Probas maiorem. Ea, quæ à parte rei sunt physicè distincta, habent diversas cognoscibilitates; sed in hoc consistit distinctio intentionalis Bacconica; ergo ea, quæ à parte rei sunt physicè distincta, sunt etiam distincta intentionaliter. Respondeo ad instantiam negando maiorem absolutè prolatam; animal namque hominis, & animal leonis sunt physicè distincta, & tamen non distinguuntur intentionaliter, nec terminant cognoscibilitates diversas, cùm utrumque cognoscatur per vivens sensitivum.

325 Replicabis. Animal, & rationale terminant diversas cognoscibilitates: ergo etiam animal hominis, & animal leonis. Respondeo ad replicam, concesso antecedente, negando consequentiam. Est discrimen, quòd rationale non sit vivens sensitivum sicut est animal; ideoque animal, & rationale terminant diversas cognoscibilitates, & unum cognosci potest, quin aliud cognoscatur; at verò animal leonis est vivens sensitivum, sicut est animal hominis, & ideo non terminant diversas cognoscibilitates, nec unum sine altero attingi potest.

326 Objicies duodecimo. Distinctio consistit in negatione; sed animal non dicit negationem rationalis: ergo inter animal, & rationale nulla datur distinctio à parte rei. Maior constat ex dictis disp. 1. sectione 1. n. 1. Probas minorem. Si animal diceret negationem rationalis non esset vera ista propositio, *rationale est animal*; sed est vera: ergo

go animal non dicit negationem rationalis. Respondeo ad objectionem, concessa maiore, negando minorem: ad cujus probationem distinguo maiorem: si animal diceret negationem identitatis intentionalis cum rationali, non esset vera talis propositio, in sensu intentionali, concedo maiorem: in sensu physico, nego maiorem. Deinde applicata distinctione minori, nego consequentiam. Talis propositio est vera in sensu physico, in quo animal non dicit negationem identitatis cum rationali; est tamen falsa in sensu intentionali, quia animal dicit negationem identitatis intentionalis cum rationali, semel quòd intentionaliter distinguatur ab illo; nam distinctio non consistit in negatione, seu in carentia alteriùs præcisé, bene quidem in negatione identitatis, eo modo quo est distinctio.

327 Instabis. Animal nequit dicere negationem identitatis intentionalis cum rationali: ergo nulla solutio. Probas antecedens. Animal non dicit negationem identitatis physicæ cum rationali: ergo neque negationem identitatis intentionalis. Antecedens est concessum. Probas consequentiam. Plus est habere identitatem realem physicam, quàm identitatem realem intentionalem: ergo si animal non dicit negationem identitatis physicæ cum rationali, neque dicit negationem identitatis intentionalis. Respondeo ad inst. negando antecedens; ad cujus probationem, concesso antecedenti, nego consequentiam; ad cujus probationem concesso antecedenti, nego consequentiam, quæ nullo modo sequitur; aliter quæ realiter physicè distinguuntur, distinguerentur omni distinctione minori ipsâ distinctione physicâ; siquidem plus est distingui realiter physicè,

cé, quàm aliâ quacumque distinctione. Unde quód res hâc potiùs, quam aliâ distinctione distinguantur, provenit à rerum essentiis, quarum quælibet non est alia, sive plus sit, sive minus.

328 Objicies decimo tertio. Distinctio Bacconica compatitur cum identitate; sed hoc implicat: ergo. Maior est certa apud Bacconistas. Probas minorem. Distinctio opponitur identitati: ergo. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: distinctio Bacconica compatitur cum identitate physicâ, concedo maiorem: cum identitate intentionali, nego maiorem. Deinde nego minorem, & consequentiam. Ad probationem minoris distinguo antecedens: distinctio opponitur identitati in eadem lineâ. concedo antecedens: in diversâ lineâ, nego antecedens. Distinctio, quæ datur v. g. inter animal, & rationale, est in lineâ intentionali; identitas verò, quam important, est in lineâ physicâ, & hoc non opponitur.

329 Instabis. Si inter animal, & rationale daretur aliqua identitas, hæc non esset physica, sed formalis; atqui identitas formalis repugnat cum distinctione formali: ergo vel nulla datur identitas inter animal, & rationale, vel si datur, reddit distinctionem formalem intentionalem implicatoriam. Probas maiorem. Si inter animal, & rationale daretur aliqua identitas, hæc esset illis proporcionata; atqui sola identitas formalis, & non physica est illis proportionata: ergo si inter animal, & rationale &c. Probas maiorem. Formalitatibus identificatis sola identitas formalis, & non physica est proportionata; atqui animal, & rationale sunt formalitates identificatæ: ergo. Probas maiorem. Formalitatibus

malitatibus diſtinctis ſola diſtinctio formalis eſt proportionata: ergo etiam formalitatibus identificatis ſola identitas formalis erit proporcionata.

330 Reſpondeo ad inſt. negando maiorem; ad cujus probationem, conceſſâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem nego ſuppoſitum maioris, ſcilicet quód formalitates qua tales poſſint identificari: ad cujus probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam, ſeu illius ſuppoſitum. Quare animal, & rationale, licét ſint formalitates diſtinctæ, non ſunt formalitates identificatæ.

331 Replicabis. Animal, & rationale ſunt formalitates; deinde habent inter ſe identitatem: ergo ſunt formalitates identificatæ. Reſpondeo ad repl. diſtinguendo antecedens quo ad primam partem: animal, & rationale ſunt formalitates in lineâ intentionali, concedo antecedens quo ad iſtam partem: animal, & rationale ſunt formalitates in lineâ phyſica, nego antecedens quo ad iſtam partem. Deinde diſtinguo ſecundam partem ejuſdem antecedentis: habent identitatem in lineâ phyſicâ, concedo antecedens: habent identitatem in lineâ intentionali, nego antecedens, & conſequentiam. Quànvis animal, & rationale ſint formalitates, & identificentur, non ſequitur, quòd ſint formalitates identificatæ; cùm ſint formalitates in unâ lineâ, & identificentur in alterâ; ſicut non ſequitur, quòd Petrus ſit magnus phyloſophus, licèt ſit magnus, & ſit philoſophus. Hinc quando formalitates tales dicuntur, ſumuntur in lineâ intentionali, in qua non datur identitas phyſica; quando verò identificantur, ſumuntur in lineâ phyſica, in qua non dantur formalitates.

332 Urgebis. Atqui semel quòd animal, & rationale in linea intentionali, seu in lineâ, in quâ dicuntur formalitates, nullam identitatem habeant; nec possunt habere identitatem in lineâ physica: ergo. Probas hanc minorem. In lineâ identitatis plus est identitas physica, quàm identitas intentionalis; sed quæ minorem excludunt identitatem, necessariò debent excludere maiorem: ergo si animal, & rationale non habent identitatem in linea intentionali; nec possunt habere identitatem in lineâ physicâ. Maior liquet à paritate distinctionis. Probas minorem. Frigiditas intensa excludens à subjecto calorem ur quatuor, eo ipso excludit calorem ut octo: ergo similiter.

333 Respondeo ad urg. negando minorem subsumptam; ad cujus probationem, concessa maiore, nego minorem; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Discrimen est in eo, quòd gradus caloris sunt in eodem ordine, ideo si subjectum excludit quatuor, à fortiori debet excludere octo; identitas veró intentionalis, & identitas physica sunt in diverso ordine, & lineâ, cùm una sit intentionalis, & physica altera; ideoque ex exclusione identitatis in linea intentionali non sequitur exclusio identitatis in linea physica. Vide sup. dicta n. 327. Et adde, quòd licèt plus sit producere hominem, quàm culicem, non sequitur, quòd detur repugnantia producendi hominem, ex eo quod detur repugnantia producendi culicem.

334 Objicies decimo quarto. Distinctio formalis intentionalis ex natura rei Bacconica habet fundamentum in linea physica; sed suppositâ doctriná sup. quòd distinctio consistat in negatione iden-

identitatis, nullum fundamentum physicum assignari potest distinctioni intentionali: ergo suppositâ tali doctrinâ, hæc admitti non potest. Maior constat ex dictis. Probas minorem. Fundamentum, quod assignaretur, esset formalitas animalis, & formalitas rationalis; sed istæ formalitates non sunt de lineâ physicâ, sed de lineâ intentionali: ergo. Probas maiorem. Fundamentum, quod assignaretur esset id, quod fundat in se negationem identitatis intentionalis; sed quod fundat negationem identitatis intentionalis est formalitas animalis, & rationalis: ergo fundamentum, quod assignaretur esset formalitas animalis, & formalitas rationalis; adeoque non assignaretur fundamentum de lineâ physicâ.

335 Respondeo ad objectionem concessâ maiore, disting. minorem: suppositâ doctrinâ &c. nullum fundamentum physicum proximum assignari potest distinctioni intentionali, concedo minorem: nullum fundamentum physicum remotum, nego minorem; ad cujus probationem distinguo maiorem: fundamentum, quod assignaretur, esset formalitas animalis, & formalitas rationalis, fundamentum proximum, concedo maiorem: fundamentum remotum, nego maiorem; ad cujus probationem applicatâ distinctione maiori, & concessâ minore, distinguo consequens modô dictô.

336 Fundamentum distinctionis Bacconicæ aliud dicitur proximum, aliud remotum. Fundamentum proximum est ipsamet formalitas animalis, quæ proximè fundat negationem identitatis intentionalis cum rationali; hoc fundamentum non est de lineâ physicâ, ut probat objectio, quia formalitates

malitates solùm spectant ad lineam intentionalem. Fundamentum tamen remotum ejusdem distinctionis est entitas physica, quæ proximé fundat ipsas formalitates animalis, & rationalis v. g. unde entitas illa physica fundat in se diversas formalitates, & istæ formalitates fundant in se negationem identitatis intentionalis, ex quo fit, quòd entitas illa physicè eadem, sit fundamentum proximum respectu formalitatum, & remotum respectu negationis identitatis intentionalis, in qua formaliter consistit ipsa distinctio. Et sic semper salvatur dictum Bacconii, quod, scilicet, sua distinctio habeat fundamentum in linea physica. Nec obstat, quòd Doctor loquatur de fundamento remoto, relicto proximo, nam præterquam quod id confirmari possit verbis expressis ejusdem Doctoris; aliunde corroboratur, & quidem in re altiori, qualis est Mysterium Sanct. Trinitatis, in quo Theologi ponentes principium *quo* in absoluto, loquuntur de principio remoto, non de proximo.

337 Objicies decimo quinto. Distinctio sequitur ordinem entis: sed nullum datur ens, nec considerari potest præter ens reale, & ens rationis: ergo nulla dabitur distinctio præter distinctionem realem, & distinctionem rationis; adeoque implicat distinctio formalis intentionalis Bacconica. Respondeo ad objectionem, concessa maiore, disting. minorem: nullum datur ens, nec considerari potest præter ens reale, &c. Si ens reale sumatur pro omni eo, quod opponitur enti rationis, concedo minorem: si ens reale sumatur pro ente puré physico, nego minorem, & consequentiam in eodem sensu. Quare inter purum ens physicum, & ens puré rationis,

rionis, mediat ens reale intentionale, quod solùm habet esse in ordine ad intellectum; ideoque præter distinctionem realem physicam, & distinctionem purè rationis admittimus distinctionem realem intentionalem, sive formalem in esse intelligibili. Alias objectiones omitto; quia locum habent præcipuum circa præcisiones objectivas de quibus infra n 503. Ex dictis tamen.

338 Deduces primò, distinctionem formalem intentionalem mediare inter distinctionem realem physicam, & rationis fictam, esseque passionem intransitivè formalitatum intentionalium; ideoque in ipsis formalitatibus consistere fundamentum proximum talis distinctionis. Deduces secundò, præter esse physicum, & esse per rationem, dari esse intentionale, quod dicitur resultativum ab eodem esse physico; ad eum modum quo passiones resultant ab ente, adeoque non distingui ab ente physico entitativè, sed solùm formaliter conceptibiliter, seu in linea objicibili.

QUÆSTIO II.

Utrùm inter Essentiam Divinam comparatam cum Attributis, vel inter Attributa ad invicem comparata detur Distinctio Formalis Bacconica?

339 RESolutio est affirmativa, & expressa mens ejusdem Bacconii quodlib. 3. q.6. art. 3. §. 4. ad illa formalia verba ibi: *Non autem secundùm istum modum attributa distinguuntur formaliter ab essentia ex natura rei, secundùm* *Baccon.*

suas rationes absolutas, sed solùm secundùm respectus diversos ad intellectum secundùm quo diversimodè ex natura rei essentia est conceptibilis. Et in 1. dist. 2. q. 2. art. 3. §. 1. in principio hæc habet: *Ubi primò venio ad punctum quæstionis, & teneo quòd attributa distinguuntur ex natura rei per rationes formales, quod est contra Aureolum, & non per absolutas, sed per respectivas.* Sequuntur Doctorem Mag. Zagaglia tom. 2. d. 1. de Attributis Divinis sect. 1. §. 3. n. 24. Mag. Blasco, quem citat, sed non sequitur Mag. Lumbier tractatu de Scientia Dei in appendice de Distinctione Bacconicá, & Scoticà Mag. Aymus in Metaph. p. 2. dist. 2. & satis colligitur ex doctrina sua p. 1. dist. 1. q. unica art. 1. Mag. Garcia in Megal. dist. 2. q. 1. art. 3. §. 8. & noviter Mag. de Castilla tractatu de Deo uno, & ejus Attributis q. 8. n. 239. ubi inquit: *Hæc est Resoluti, & omnium, qui recto tramite ipsum sequuntur.*

Zagaglia. Blasco. Lumbier. Aymus. Garcia. de Castilla.

340 Prænoto primò, distinctionem formalem Bacconicam inter essentiam, & attributa, vel inter attributa ad invicem comparata, solùm esse per ordinem ad intellectum; ex quo fit, quòd si attributa, & essentia non ita comparentur, certé non distinguuntur objectivè: *Et nota, quod semper dico, quod distinguuntur ex natura rei, ut important respectus ad intellectum: non dico ut comparantur ad essentiam, vel ad invicem, ne sit aggregatio.* Verba sunt Resoluti in 1. dist. 2. q. 2. art. 4 §. 1. ad finem.

Baccon.

341 Prænoto secundò, hæc intelligenda esse per ordinem ad intellectum creatum (loquendo de facto) & non per ordinem ad intellectum Divinum, qui, ex cognitione Divinæ essentiæ, in qua continentur eminentissimè omnia entia creata, & increata,

creata, necessitatur simul ad omnia intelligibilia; & ideo nec essentia sine attributis, nec unum attributum sine alio attingi valet à Divino intellectu: *Nunquam dixi in ista quæstione, quòd distinguerentur in esse repræsentativo, vel objicibili in respectu ad intellectum Divinum, sed ad intellectum, qui natus esset de eis facere distinctos conceptus, ut dicit Thomas p.p. q 13. art. 4. de intellectu creato, qui quia non comprehendit Divinam essentiam, ideo oportet Deo diversa nomina imponere, & diversos conceptus formare.* Verba sunt etiam ejusdem Doctoris in 1. dist. 34 §. 2. His prænotatis. *Baccon.*

342 Probo resolutionem, & primò quo ad primam partem sic. Distinctio formalis Bacconica in eo stat, quòd objectum realiter, & physicè idem à parte rei possit repræsentare intellectui distinctos conceptus, & varias formalitates; atqui essentia Divina realiter physicé eadem cum attributis est potens repræsentare intellectui creato distinctos conceptus, & varias perfectiones attributales, & hoc formaliter à parte rei: ergo inter essentiam Divinam comparatam cum attributis datur distinctio formalis Bacconica. Maior liquet. Probo minorem exemplo de Christi facie de quo sup. n. 211.

343 Probo eamdem resolutionem quo ad secundam partem. Intellectus exprimit objectum sicut sibi repræsentatur cognoscibile; sed intellectus exprimit omnipotentiam ut distinctam à sapientia v. g. ergo omnipotentia, sapientia, & alia attributa important ex natura rei distinctas cognoscibilitates. Maior est omnium doctrina. Minor etiam negari non potest; quia non aliter intellectus attingit in Deo attributa, nisi per analogiam ad creaturas, &

 sic

sic concipit perfectiones illas diversis nominibus, quorum unum est omnipotentiæ, alterum sapientiæ &c. Confirmo eamdem resolutionem ex sup. dictis à n. 295. usque ad n. 297. Siquis alias optet probationes videat Mag. Zagag. Garc. & de Cast. locis sup. citatis.

Zagagl.
Garcia.
De Castilla.

Proponuntur Objectiones, & dissolvuntur.

D. August.

344 NOstræ resolutioni opponuntur AA. extra Scholam Resoluti, pro quibus objicies primò auctoritatibus SS. PP. quarum prima est D. Aug. 15. de Trinitate cap. 5. *Non est aliud sapientia, aliud essentia, cui hoc est esse, quod sapientem esse.* Secunda est Richard. Vict. 1. de Trinit. cap. 15. *Ipsa primordialis substantia idem omnino, quod summa sapientia est*: ergo admittere distinctionem formalem inter essentiam, & attributa est ire contra mentem SS. PP. Respondeo ad objectionem, & dico, istas authoritates, sicut etiam omnes alias, quæ adduci possunt, intelligi de distinctione reali entitativa; quia PP. loquuntur contra hæreticos admittentes distinctionem realem physicam inter prædicata Divina. Unde non negant PP. distinctionem rationis, sive distinctionem habent in esse in ordine ad rationem, qualis est distinctio formalis ex natura rei Bacconica. Imò hæc videtur de mente SS. PP. cùm dicant expressè in Deo esse perfectionum varietatem, & multiplicitatem, quod intelligi non potest nisi per ordinem ad intellectum. Sic idem August. 6. de Trin. cap. 7. *Deus verò multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, &c.* Et idem Richard. lib. 2. de

Richard. Victor.

D. Aug.

Richard.

Trin.

Trin. cap. 2. *Quid mirum si sibi concordet, & in unum concurrat identitas cum multiplicitatis infinitate?*

345 Objicies secundo. Si inter essentiam, & attributa, vel attributa ad invicem comparata daretur distinctio formalis Bacconica, essentia, & attributa facerent compositionem in Deo; sed hoc non est admittendum: ergo. Probas maiorem. Admissâ tali distinctione, daretur in Deo pluralitas; sed datâ pluralitate, negari nequit compositio: ergo. Probas nunc minorem. Compositio ledit simplicitatem Dei: ergo non est admittenda in Deo. Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem distinguo maiorem: admissâ tali distinctione, daretur in Deo pluralitas in lineâ intentionali, concedo maiorem: in lineâ physicâ, vel formali absolutà, nego maiorem. Unde pluralitas, quæ in Deo reperitur, non arguit compositionem physicam, vel formalem absolutam; quia solùm est pluralitas in lineâ intentionali.

346 Instabis. Datâ distinctione formali intentionali, daretur in Deo pluralitas non tantùm in lineâ intentionali, sed etiam in lineâ physicâ: ergo. Probas antecedens. Datâ distinctione formali intentionali in Deo, darentur necessarió in Deo repræsentativitates physicé distinctæ; sed admissis repræsentativitatibus physicè distinctis, negari non potest in Deo pluralitas physica: ergo datâ distinctione formali intentionali, daretur in Deo pluralitas non tantùm in lineâ intentionali, sed etiam in lineâ physicâ. Probas maiorem. Repræsentativitates, quæ fundantur modô physicô, sunt physicè distinctæ; sed datâ distinctione formali intentionali in

Deo, darentur necessariò repræsentativitates, quæ fundarentur modo physico: ergo datâ distinctione formali intentionali in Deo, darentur necessariò in Deo repræsentativitates physicè distinctæ.

347 Respondeo ad inst. negando antecedens; ad cujus probationem nego maiorem, ad cujus probationem nego absolutè maiorem, & claritatis gratia, distinguo minorem: sed datâ distinctione formali intentionali in Deo, darentur necessariò repræsentativitates, quæ fundarentur modô physicô, quantum est ex parte fundantis, concedo minorem: quantum est ex parte ipsius respectûs fundati, nego minorem, & consequentiam. Dico, quòd istæ repræsentativitates fundantur modo reali physico, quantum est ex parte fundantis, id est, quod illarum fundamentum sit reale physicum, & hoc est verum; quia omnipotentia, & sapientia realiter, & physicè sunt in Deo, & non tantùm secundum nostrum modum concipiendi; attamen ex parte respectùs fundati, non fundantur istæ repræsentativitates modô reali physicô; cùm non fundentur nisi mediante intelligibilitate, seu ordine ad intellectum.

348 Licét ergo tales repræsentativitates sint ortæ ex natura rei, non inde dicuntur respectus prædicamentales; cùm non dentur in re secundúm esse reale physicum ipsarum, sed solùm secundùm suum esse intentionale, ut docet Resolutus in 1. d. 2. q. 2. art. 4. §. 3. quem concludit his verbis; *Respectus attributales, ut constituunt distinctum esse repræsentativum, sive intelligibile, non sunt relationes reales; nec universaliter relationes secundùm dici ortæ ex natura rei sunt reales; quia ex prima significatione relativa secundùm dici non important*

Bacconius.

r e

relationem, sed solùm quia ex natura rei unum eorum natum est intelligi ex ordine ad aliud, & illud intelligi vocat Arist. dici per intellectum. Quare istæ distinctæ repræsentativitates non inferunt pluralitatem physicam in Deo, quæ dirimat illius simplicitatem, adhuc distinctione Bacconii nostri admissâ.

349 Replicabis: ergo admissâ distinctione Bacconica, negari non potest in Deo compositio saltem intentionalis; sed hoc non: ergo neque illud ex quo sequitur. Respondeo negando illationem; non enim infertur compositio intentionalis ex intentionali distinctione; aliter ex distinctione physicâ argueretur physica compositio, quod est apertè falsum; nam Divinæ Personæ physicé distinguuntur, & tamen physicè non componunt; lapis etiam distinguitur physicè à ligno, quin cum ligno componat; ergo sicut non sequitur compositio physica ex distinctione physicâ, ita neque compositio intentionalis ex intentionali distinctione.

350 Igitur si sufficit, quòd Personæ Divinæ identificentur realiter cum naturâ Divinâ, ut excludant compositionem physicam, licèt physicè distinguantur, etiam sufficiet, quòd essentia, & attributa identificentur realiter, ut excludant compositionem intentionalem, licèt intentionaliter distinguantur. Itaque debet à Deo excludi omnis compositio, quæcumque illa sit, & hoc ex Concilio Lateran. cap. Firmiter de Summ. Trin. ubi Deus dicitur omnino simplex Si ergo in Deo daretur aliqua compositio cum fundamento in re, jam Deus non esset simplex omnino, & omnibus modis, & in omni linea. Hoc, de more, doctissimé, & efficacissimé,

simè, probat Mag. de Castilla sup. citatus q. 15. an.
De Castilla. 1. 434. usque ad n. 439.

351 Objicies tertio. Essentia Divina non potest objici intellectui, quin simul objiciantur attributa: ergo non distinguitur ab attributis in esse objicibili. Probas antecedens. Essentia Divina non potest objici intellectui, quin objiciatur infinita in omni genere perfectionis; atqui non potest objici infinita in omni genere perfectionis, quin simul objiciantur attributa: ergo. Probas maiorem. Esse Divinum est esse universaliter infinitum: ergo essentia Divina non potest objici intellectui, quin objiciatur infinita in omni genere perfectionis.

352 Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem nego maiorem; ad cujus probationem distinguo antecedens: esse Divinum est esse universaliter infinitum, si esse Divinum accipiatur pro entitate Divinâ, prout se habet à parte rei, concedo antecedens: si esse Divinum accipiatur pro ratione generali, & transcendentali in Divinis, quæ est ratio essendi à se, nego antecedens. Igitur ut aliquid Divinum concipiatur, non est necesse, quòd concipiatur importans simpliciter infinitatem, sed sufficit quòd concipiatur habens esse à se, & non ab alio; ratio autem generalis, & transcendens esse Divini non dicit infinitatem simpliciter in omni genere, in lineâ objicibili. Solutio patebit ex infra dicendis n. 389.

353 Instabis. Esse Divinum est esse universaliter infinitum, si esse Divinum accipiatur pro entitate Divina, prout se habet à parte rei physicè: ergo etiam in esse objicibili, seu representabili. Antecedens constat ex dictis. Probas consequentiam.

Esse

Esse Divinum in esse objicibili, seu repræsentabili est verum, non fictum; sed esse Divinum verum, & non fictum est universaliter infinitum: ergo. Respondeo ad instantiam, concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem concessâ maiore, distinguo minorem: sed esse Divinum verum, & non fictum est universaliter infinitum, si sumatur adæquatè, secundùm id, quod dicit à parte rei, concedo minorem: si sumatur inadæquatè, secundùm id, quod tantùm importat ad intellectum, nego minorem.

354 Objicies quarto. Admissa distinctione formali Bacconica inter attributta Divina, negari non potest distinctio formalis Scotica; sed hæc negatur: ergo illa admitti nequit. Probas maiorem. Distinctio formalis Bacconica staret in eo, quòd omnipotentia v. g. esset ex natura rei diversa à sapientia per ordinem ad intellectum; sed hoc admisso, negari non potest distinctio formalis Scotica: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Distincta ratio repræsentativa petit infallibiliter distinctum repræsentatum; sed omnipotentia v. g. haberet rationem formalem repræsentativam diversam à sapientia: ergo talis ratio formalis repræsentativa peteret infallibiliter distinctum repræsentatum; hoc nullum esset nisi formalitas à parte rei, ut vult Scotus: ergo.

355 Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem, concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem disting. maiorem: distincta ratio repræsentativa petit infallibiliter distinctum repræsentatum, virtualiter, vel fundamentalliter, concedo minorem: physicè, vel formaliter

ter absolutè, nego maiorem, & concessâ minore, disting. consequens modo dicto; deinde nego minorem subjunctam, & consequentiam. Dico, quòd distincta ratio repræsentativa petit solùm distinctum repræsentatum virtualiter, vel fundamentaliter, quatenus eadem indivisibilis realitas à parte rei est potens fundare diversas representabilitates per ordinem ad intellectum.

356 Instabis. Ex distinctis repræsentabilibus oriuntur distinctæ repræsentativitates: ergo si istæ repræsentativitates sunt distinctæ, supponunt rationes formaliter absolutè distinctas. Respondeo ad instantiam, concesso antecedente, negando consequentiam; quia licèt distincta repræsentabilia arguant distinctas repræsentativitates, possunt tamen dari repræsentativitates distinctæ sine distinctis repræsentabilibus physicé, vel formaliter absolutè.

357 Replicabis. Semel quòd istæ repræsentativitates sint distinctæ, debent fundare diversas, & distinctas rationes in lineâ formali absolutâ: ergo. Probas antecedens. Distincti respectus necessariò fundantur per rationes fundandi distinctas formaliter absolutè; sed istæ repræsentativitates sunt distincti respectus: ergo. Probas maiorem. Si distincti respectus non fundarentur per rationes fundandi distinctas formaliter absolutè, solùm fundarentur per rationes fundandi distinctas formaliter in esse respectivo; sed sic daretur processus in infinitum: ergo.

358 Respondeo ad replicam negando antecedens; ad cujus probationem nego maiorem; ad cujus probationem dico, distinctos respectus in lineâ objicibili fundari per rationes fundamentaliter tantùm

tùm distinctas; & sic nego, quòd daretur processus in infinitum, quia ab eodem fundamento non procedunt prædicti respectus, nisi quilibet eorum conservet suum proprium modum respiciendi suum correlativum. *Sol enim constringit lutum, & dissolvit glaciem, hîc enim super eamdem potentiam absolutam fundantur diversi respectus secundum diversos modos fundandi intra genus relationis, ubi non procedunt distinctæ rationes absolutæ fundantes, nec respectus distincti, sed quælibet ratio oritur cum suo proprio modo oppositionis: relatio autem constrictivi activè oritur fundamentaliter cum suo modo proprio relativo, scilicet, in habitudine ad potentiam passivam constrictibilem, relatio dissolutivi activè alio modo proprio relativo in ordine ad potentiam passivam dissolubilem.* Verba sunt Resoluti in 1. d. 23. q. 2. art. 3. §. 2. *Bacconius.*

359 Urgebis. Ex eodem, in quantùm idem, non potest procedere nisi idem: ergo si tales respectus sunt distincti, id, à quo procedunt, non potest non esse distinctum; adeo que ab eodem fundamento non possunt resultare diversæ repræsentativitates, adhuc in linea objicibili. Respondeo ad urg. negando antecedens; cùm sit absolutè falsum; nam ex eâdem materiâ resultant infiniti respectus ad omnes formas naturales, & ex eâdem essentiâ entis, respectus, seu modi diversi. De quibus jam sup. n. 304.

360 Objicies quinto. In tantùm essentia, & attributa, vel ipsa attributa dicerent ad intellectum creatum diversas cognoscibilitates, in quantum id, quod est Divinum non potest adæquari uno conceptu, & dicere unam tantùm cognoscibilitatem; sed

ſed ex hoc ſequitur, quòd quodlibet attributum arguat diſtinctionem intentionalem ſui ipſius: ergo vel non datur talis diſtinctio inter eſſentiam, & attributa, vel datur inter extrema, inter quæ non datur, quod eſt manifeſta contradictio. Maior conſtat. Probas minoris ſequelam. Quodlibet attributum, adhuc prout ab aliis diſtinctum, eſt Divinum, & non poteſt ſic unico conceptu adæquari; ergo ſequitur id quod ſup.

361 Reſpondeo ad objectionem diſting. maiorem: in tantùm, &c. etiam, concedo maiorem: ſolùm, nego maiorem. Deinde nego minorem, & conſequentiam. Ad probationem minoris dico, quòd quànvis quodlibet attributum ſit Divinum, non inde arguit diverſas cognoſcibilitates ſui ipſius; quia ex parte ſui non continet ea plura, ex quibus oriuntur illæ diverſæ, & adæquatæ cognoſcibilitates, quæ oriuntur ab entitate eſſentiæ, & attributorum. Unde ratio, ob quam iſta diſtinctio formalis arguitur inter eſſentiam, & attributa, non eſt illa præcisè intenta ab objiciente, cùm etiam detur inter gradus metaphyſicos creatos, qui nihil Divinitatis præcontinent: admittitur ergo in Divinis diſtinctio formalis per ordinem ad intellectum creatum; quia objectum Divinum, licèt idem phyſicé actu à parte rei, plura continet ad modum rerum creatarum, & cùm ad inſtar illarum intellectus creatus concipiat, ideo in Deo concipit diverſas formalitates, quæ natæ ſunt concipi pro diverſitate eſſentiæ, & attributorum.

362 Inſtabis. Semel quòd in Sole virtus calefactiva diſtinguatur intentionaliter á virtute illuminativa, ita in eadem virtute calefactiva diſtinguitur

tur virtus productiva caloris *A* á virtute productiva caloris *B*, item virtus productiva unius partis caloris *A* à virtute productiva alterius partis ejusdem caloris *A*, & sic in infinitum: ergo à fortiori in Divinis, ubi tam essentia quam attributa sunt infinita; adeoque vel debet admitti processus in infinitum, supposita tali distinctione, vel talis distinctio non debet consistere in illis diversis cognoscibilitatibus per ordinem ad intellectum creatum.

363 Respondeo ad inst. negando antecedens, & consequentiam, si sermo sit de distinctione in actu. Pro hujus intelligentia nota valde, prædictam distinctionem dupliciter considerari, scilicet in potentiâ, & in actu; in potentiâ quatenus dicit tantùm formalitatem ulterius divisibilem velut in partes interiores; in actu verò quatenus eadem formalitas specialiùs & intentius illustratur ab intellectu agente. Hinc si sensus sit de distinctione in potentiâ, totum id est verum; at in actu, non nisi dependenter ab illustratione intellectûs.

364 Objicies sexto. Quod verè prædicatur de aliquo nequit ab illo distingui; sed attributa Divina veré prædicantur de essentiâ: ergo non distinguuntur ab essentiâ. Maior liquet. Probas minorem. Si attributa Divina verè non prædicarentur de essentia non essent veræ istæ prædicationes: *Essentia Divina est omnipotentia*: *essentia Divina est sapientia*; sed tales prædicationes sunt veræ: ergo. Respondeo ad objectionem disting. maiorem: quod veré prædicatur de aliquo, nequit ab illo distingui in illâ lineâ, in qua veré prædicatur, concedo maiorem: in lineà diversâ ab illa, in qua prædicatur, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: sed attributa

buta Divina verè prædicantur de essentia, in lineâ physicâ, concedo minorem: in lineâ intentionali, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem minoris dico, prædictas prædicationes esse veras in lineâ physicâ; falsas verò in lineâ objicibili ad intellectum: cùm intentionaliter nec essentia sit attributum, nec unum attributum aliud.

365 Instabis. Omnia, quæ sunt in Deo, prædicantur in quid de essentia Divinâ non solùm secundùm rem, sed etiam secundùm considerationem: ergo tales prædicationes non solùm sunt veræ in linea physica, sed etiam in lineà intentionali. Probas antecedens ex D. Anselmo in Monol. cap. 16. *Quemadmodum unum est quidquid essentialiter de summa substantia dicitur, ita ipsa uno modô, una consideratione est quidquid est essentialiter*: ergo. Respondeo ad instant. neg. antecedens, ad cujus probationem explico Anselmum, & dico, S. D. loquutum fuisse contra hæreticos negantes consubstantialitatem Personarum, & unitatem in essentia: ut ergo hunc errorem confutaret Anselmus docebat, unam omninò esse substantiam penitùs indivisam, ita ut hæreticum esset considerare inter illas perfectiones absolutas distinctionem realem physicam, ut judicabat Arrius.

366 Objicies septimo. Si inter essentiam, & attributa daretur distinctio intentionalis, ipsa attributa essent essentiâ inferiora; sed hoc non est dicendum: ergo: Probas maiorem. Non essent superiora, nec æqualia: ergo essent inferiora. Probas antecedens quoad primam partem. Essentiâ Divinâ nihil est superius: ergo. Probas idem antecedens quoad secundam partem. Quod distinguitur

tur ab aliquo in gradu summo perfectionis non est ipsi æquale; sed essentia Divina est in gradu summo perfectionis: ergo si attributa distinguerentur ab essentia non essent essentiæ æqualia. Respondeo ad objectionem disting. maiorem: essent inferiora in lineâ intentionali transeat: in linea physicâ, nego maiorem. In linea physicâ, cúm omnia sint idem nullo modo attributa dici possunt essentiâ inferiora, quanvis in lineâ intentionali hoc verificari possit, quatenus intellectus creatus concipit attributa ad instar rerum creatarum, in quibus proprietates sunt inferiores respectu naturæ. Dixi *transeat*, quia intellectus concipiens attributum Divinum forté non conciperet ut inferius essentiâ, ex eo quòd attributum semper objiciatur intellectui ut Divinum.

367 Objicies octavo. Inter essentiam, & attributa Dei, quæ dicuntur transcendentalia non potest dari distinctio formalis intentionalis: ergo neque inter essentiam, & alia attributa Probas consequentiam. Omnia Dei attributa re ipsa sunt transcendentalia: ergo. Probas hoc antecedens. Ideo unitas, veritas, & bonitas dicuntur attributa transcendentalia, quia de omnibus Divinis formalitatibus prædicantur; sed quodlibet aliud attributum simili modo prædicatur: ergo. Probas nun, primum antecedens sup. si inter essentiam, & attributa Dei, quæ dicuntur transcendentalia, daretur distinctio formalis intentionalis, certò daretur inter essentiam Dei, & unitatem; sed hoc non: ergo. Maior est certa; quia unitas est attributum transcendens. Probas minorem. Essentia Dei non potest objici intellectui sine unitate; sed hoc posito non

distinguitur ab unitate in esse objicibili: ergo. Probas maiorem. Essentia Dei non potest objici intellectui sine sibi essentiali in esse objicibili; sed in esse objicibili est unitas essentialis essentiæ: ergo.

368 Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem concessa mai distinguo minorem: essentia Dei non potest objici intellectui sine unitate præcisionis, concedo maiorem: sine unitate transcendentali (loquendo formaliter) nego maiorem; ad cujus probationem concessâ maiore, distinguo minorem: sed unitas est essentialis essentiæ in esse objicibili, unitas præcisionis, concedo minorem; unitas transcendentalis, nego minorem, & consequentiam in eodem sensu. Aliud ergo est loqui de unitate præcisionis, & aliud de unitate transcendentali; prima unitas objicitur intellectui, quando objicitur essentia secundùm sibi essentialia; secunda verò non ita objicitur. Unde Essentia Divina non importat unitatem transcendentalem formaliter in esse conceptibili; sed solum identicè, & radicaliter; aliter unitas transcendentalis Dei nihil diceret formaliter supra essentiam: cùm ergo aliquid addat supra essentiam non est de illius conceptu formali in esse objicibili, adeoque distinguitur essentia formaliter intentionaliter ab ipsa unitate transcendentali, & non minus à veritate, & Bonitate, sicut, & à cæteris attributis non transcendentalibus.

369 Ad probationem primæ consequentiæ, quæ gravem involvit difficultatem, respondeo negando antecedens; ad cujus probationem nego maiorem. Ratio enim cur unitas, veritas, & bonitas dicuntur

tur attributa tranſcendentalia eſt, quia ex ſua ratione formali ubicumque ponantur ſunt tranſcendentia, vel ſint illimitata, ut in Divinis, vel limitata, ut in creatis: Jam verò id non reperitur in aliis attributis ex ſua formali ratione, ſed ſolùm reduplicativè, & prout in Deo, in quo ſenſu negari non poteſt omnia eſſe tranſcendentalia; quia quemadmodum verum eſt, quod omnipotentia ſit una, & non unitas, ita verum quoque, quód omnipotentia ſit juſta, & non juſtitia.

370 Objicies nono. Si eſſentia Divina diſtingueretur formaliter intentionaliter ab attributis diceret negationem attributorum; ſed hoc non videtur dicendum: ergo. Probas maiorem. Diſtinctio eo modo, quo eſt diſtinctio dicit aliquam negationem: ergo. Reſpondeo ad objectionem diſting. maiorem: diceret negationem identitatis intentionalis, concedo maiorem: diceret negationem identitatis phyſicæ, vel formalis abſolutæ, nego maiorem; quia diſtinctio intentionalis non excludit phyſicam identitatem, nec formalem abſolutam.

371 Objicies decimo. Multa attributa ſunt in Deo, quæ nullum reſpectum dicunt ad intellectum: ergo non diſtinguuntur in eſſe intelligibili, ſeu diſtinctione formali intentionali. Reſpondeo ad objectionem his verbis Reſoluti: *Quod quælibet ratio, quæcumque ſit illa, ſive magnitudo, ſive bonitas, ſive voluntas nata eſt diſtinctè cognoſci ab intellectu, & ideo quælibet talis ratio diſtinguitur in Deo in eſſe intelligibili repræſentabili, & ita propriè univerſaliter eſt una: quia omnia attributa in Deo diſtinguuntur quantum ad reſpectus repræſentabilés.* Ex quibus *Bacconius.*

 172 De-

372 'Deduces primo, quòd quanvis attributa aliqua in Deo dicant appetibilitatem, & sic ordinem ad voluntatem; cùm tamen ipsa appetibilitas sit ratio quædam intelligibilis, semper datur respectus ad intellectum. Idem Resolutus in 1. dist. 2. q. 2. §. 2. *Quod autem specialem videtur facere difficultatem de appetibilitate in ordine ad voluntatem scilicet, quòd appetibilitas distingueretur contra repræsentabilitatem, nihil facit in proposito, quia licèt generaliter distinguatur appetibilitas contra repræsentabilitatem; sicut veritas contra bonitatem, in proposito tamen sufficit, quod appetibilitas, quæ apropriatur bonitati distinguatur per formalem rationem appetibilitatis, secundùm quam ipsa appetibilitas est quædam ratio intelligibilis ab hac intelligibilitate, quæ importatur per veritatem secundùm esse repræsentativum, ex eo enim, quod sub unâ ratione repræsentatur appetibilitas intelligibilis, & sub aliâ veritas, eô ipsô hoc tanquam bonum apropriatur voluntati, & hoc tanquam verum apropriatur intellectui, ita revertetur propositum, scilicet quód tota distinctio formalitatum est in esse repræsentativo.*

Bacconius.

373 Deduces secundo, non obstare quòd intellectus cui objicitur intelligibile sit unicus, & non multiplex, ad hoc ut intelligibilia careant distinctione formali; qnia etiam secundum illos, qui ponunt verum, & bonum distingui ratione ratiocinante ponunt ea distincta in ordine ad intellectum; cúm ambo sint nata cognosci. Deduces tertio, attributa divina, cùm transeant in omnimodam realitatem estentiæ Divinæ, non distingui inter se realiter phy sicè; & si aliqua ex illis spectent ad diver-

ſa prædicamenta; neque ex eo quòd actio, & paſſio pertineant ad prædicamenta diverſa infertur quòd realiter diſtinguantur.

QUÆSTIO III.

Utrùm inter Eſſentiam Divinam comparatam cum Relationibus detur Diſtinctio Formalis Bacconica?

374 RESolutio eſt affirmativa, & expreſſa mens ejuſdem Reſoluti in 1. d. 24. q. 1. art. 5. §. 1. ad illa verba: *Si tamen eſſentia, & relatio accipiuntur ſecundùm rationes definitivas earum, ut comparantur ad intellectum differunt ex natura rei.* Sequuntur Doctorem Mag. Zagaglia tom 2. diſp. 1. de Attributis ſectione 1. §. 3. n. 29. & 30. item, & præcipuè, tom. 4. diſp. 3. de Relationibus ſect. 1. n. 17. Mag. Garcia in Megal. diſt. 2. q. 1. art. 3. §. 8. & omnes Bacconiſtæ. Antequam probem reſolutionem, prænoto primò, in Deo dari relationes reales ratione quarum Perſonæ Divinæ realiter diſtinguuntur; (de his jam ſup. n. 291.) non enim ſunt realiter diſtinctæ ratione naturæ. Hinc prænoto ſecundò, relationes Divinas eſſe realiter idem cum eſſentià, quod eſt certum de Fide ex Concilio Rhemenſ. ſub Eugenio III. Item ex Concilio Lateran. ubi fuit definitum non eſſe in Deo quaternitatem rerum. *Bacconius.* *Zagaglia.* *Garcia.*

375 Prænoto tertio, eſſentiam Divinam poſſe cognoſci non cognitis relationibus, eſſentiamque communicari quin relationes communicentur, filiationem produci quin producatur eſſentia; ad

quæ salvanda debet necessariò intercedere aliqua distinctio; alias non haberent locum in Divinis principia infallibilia: *Impossibile est idem simul esse & non esse: quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se.*

376 Prænoto quarto, omnes Bacconistas salvare contradictoria intentionalia, seu respectiva ad intellectum, distinctione formali intentionali, de qua agimus; aliquos tamen non tantùm contradictoria respectiva, sed etiam illa quæ communiter dicuntur in Deo absoluta. Videatur Mag. Zagaglia tom. 4. disp. 3. de Relationibus sect. 1. n. 6. Fateor hoc intentum non carere probabilitate; quia etsi essentia Divina entitativè communicetur Filio, & Paternitas de illo negetur entitativè, & non solùm formaliter intentionaliter; tamen distinctio formalis intentionalis, licèt non sit entitativa, cùm habeat fundamentum in linea physica, hoc videtur sufficere ad salvanda illa contradictoria absoluta.

Zagaglia.

377 Quod quidem confirmari potest ex D. Thoma dicente, solá distinctione rationis posse verificari, quòd essentia entitativè communicetur, & non relatio. En verba S. Doctoris: *Dicendum quòd de eo, quod est idem re, & differens ratione, nihil prohibet contradictoria verificari, ut docet Philosophus 3. Physicorum. Sicut patet quod idem punctum re, differens ratione, est principium, & finis, & secundum quod est principium non est finis, & è contrario. Unde cum essentia, & proprietas sint idem re, & differant ratione, nihil probibet, quin unum sit communicabile, & aliud incommunicabile.* Quibus verbis probat Gonetus tom. 2. disp.

D. Thomas.

Gonetus.

3. de

3. de relationibus Divinis §. 4. n. 43. contra Durandum, & Scotum, quòd licèt essentia realiter, & formaliter communicetur, non sic Paternitas, non inde opus est admittere aliam distinctionem præter distinctionem rationis.

378 Tum sic: sed id quod Thomistæ salvant suâ distinctione, salvant Bacconistæ distinctione intentionali; maximè cùm distinctio D. Thomæ non differat (nisi in modo explicandi) à distinctione Bacconicâ, ut fatetur ipse Bacconius infra citand. n. 394. Ergo videtur dicendum idem quod sup. Tandem contradictoria non petunt distinctionem in eadem lineâ, aliàs daretur distinctio realis physica inter essentiam, & Paternitatem; cúm essentia realiter physicè communicetur non sic Paternitas, ut bene arguit Bacconius contra Scotum sup. n. 273. cujus argumento utitur ibidem citatus Gonetus: ergo videtur dicendum solam distinctionem intentionalem salvare omnia illa contradictoria in Divinis.

379 His ergo fundamentis aliquando assuetus, omnia contradictoria in Divinis faciliter intendebam salvare solâ distinctione intentionali. Nihilominus si tueri modô id contenderem, opus valde difficile assumerem, & certè essem omnino cum Scoto in propugnandâ distinctione Bacconicâ; Scotus namque admittit distinctionem non solùm in lineâ respectivâ, sed etiam absolutâ formali, consequenterque omnia contradictoria, tam respectiva, quam absoluta, salvat sua distinctione formali; quod si faceret distinctio Bacconica, re ipsa esset Scotica. Ea propter solùm admitto distinctionem formalem intentionalem inter essentiam, & rela-

tiones, ad salvanda contradictoria respectiva, seu de linea intentionali, & quatenus absoluta in Deo cognosci possunt, non cognitis relativis, & è contra Fundamentum desumo ex Bacconio dicente, non semel, suam distinctionem formalem solùm esse per ordinem ad intellectum. Tandem, ad alia salvanda contradictoria in Divinis, amplector distinctionem virtualem maximam, de qua fusé disp. seq. sectione 1. His attentè prænotatis,

380 Probo resolutionem, & primo sic. Essentia, & relationes important pluralitatem per ordinem ad intellectum: ergo distinguuntur in esse objicibili. Probo antecedens. Intellectus, licét non secundùm se, secundùm cognoscitivitates essentiæ, & relationum multiplicatur: ergo quia essentia, & relationes important pluralitatem per ordinem ad intellectum. Probo antecedens. Intellectus attingendo essentiam, & relationes producit diversas cognitiones: ergo, licèt non secundum se, secundum cognoscitivitates essentiæ, & relationum multiplicatur.

381 Probo secundo eamdem resolutionem fundamento, quo utitur Mag. Garcia Citatus. Deum esse unum cognosci potest quin cognoscatur Deum esse Trinum: ergo unitas, & essentia Dei differt in esse cognoscibili à relationibus. Probo antecedens. quod est naturaliter cognoscibile cognosci potest quin cognoscatur id, quod solùm est cognoscibile supernaturaliter; sed Deum esse unum est cognoscibile naturaliter; Deum verò esse Trinum est solûm cognoscibile supernaturaliter: ergo. Confirmo eamdem resolutionem ex dictis sup. n. 342. & 343.

Garcia.

Pro:

Proponuntur Objectiones, & dissolvuntur.

382 NOstræ resolutioni opponuntur omnes AA. extra Scolã D. Resoluti pro quibus objicies primo. In Concilio Rhemensi definitum est contra Gilbertum nullam intercedere distinctionem ex natura rei inter essentiam & relationes; item in Concilio Florent. sess. 18. sic loquitur Joannes Episcopus latinus: *Divina substantia, & Persona requidem sunt idem*; sic etiam Damascenus, & communiter PP. ergo falsum est, quòd inter essentiam, & relationes detur distinctio ex natura rei adhuc cum addito intentionalis. Respondeo ad objectionem, & dico, concilia, & Patres intelligi de distinctione reali physica, & de distinctione, quæ nullum respectum dicit ad intellectum; non verò de distinctione formali intentionali; nam idem Concilium Florent. sess. 19. hæc habet: *Haud quaquam putare debetis, quòd re differant, quandoquidem sola ratione, aut intelligentia differre creduntur.* Quæ quidem verba debent intelligi de nostra distinctione formali; cùm sit per ordinem ad rationem: sic etiam debent interpretari Concilium Rhemens. Damascenus, & cæteri Patres.

Conc. Rhem.

Conc. Florent.

Damascen.

Conc. Florent.

383 Instabis. Verba Conciliorum, & SS. PP. maiorem postulant identitatem inter essentiam, & relationes, quàm realem physicam, aliàs non ita excessivè loquuti essent: ergo nulla solutio. Respondeo ad instantiam concesso antecedente, negando consequentiam; quia etsi Patres postulent maiorem identitatem, solùm sequitur, quòd intendant essentiam, & relationes non tantùm identifi-

cari

cari realiter physice, sed etiam formaliter absolutè; non autem formaliter intentionaliter per ordinem ad intellectum creatum. Unde solùm intendunt, quod nulla detur distinctio ex natura rei facta comparatione ad invicem inter essentiam, & relationes; non proinde negant distinctionem in ordine ad intellectum nostrum.

384 Replicabis. Inter essentiam, & attributa debet dari minor distinctio quàm inter essentiam, & relationes; sed inter essentiam, & attributa, quæ realiter physicè, & etiam formaliter absolutè identificantur, intercedit distinctio formalis intentionalis: ergo ista non datur inter essentiam, & relationes. Probas maiorem ex D. August. 7. de Trinit. cap. 2. dicente: *Pater non eo Pater quo Deus, eo tamen Deus quo sapiens.* Respondeo ad repl. negando maiorem, & concessa minore, nego consequentiam. Ad probationem maioris per auctoritatem Aug. dico, sensum S. Doctoris esse, quòd non est ejusdem rationis id, quod est Pater, & quod est Deus, quia Pater est incommunicabilis, non sic Deus, Paternitas est relativa, non sic Deitas; at tam Deitas, quàm sapientia sunt absoluta, & communicabilia. Verùm cùm tam absoluta, quàm relativa habeant diversas cognoscibilitates, æqualiter distinguuntur per ordinem ad intellectum. Addo, quòd siquis intelligat nomine minoris distinctionis inter essentiam, & attributa, carentiam distinctionis virtualis maximæ, totum concedo; quia hæc solùm reperitur inter essentiam, & relationes.

D. August.

385 Objicies secundo. Essentia Divina est de conceptu Paternitatis: ergo non distinguitur ab illa

illa in esse objicibili ad intellectum. Probas antecedens. Essentia Divina est de conceptu Patris: ergo etiam de conceptu Paternitatis. Antecedens est certum. Probas consequentiam. In Divinis quidquid dicit concretum dicit abstractum: ergo si essentia Divina est de conceptu Patris, ita est de conceptu Paternitatis. Respondeo ad objectionem disting. antecedens: Essentia Divina est de conceptu Paternitatis in esse rei, concedo antecedens: in esse objicibili ad intellectum, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis concesso antecedente, distinguo consequens modo dicto; ad cujus probationem nego antecedens absolutè sumptum; quia concretum v. g. Pater dicit Paternitatem, & essentiam; abstractum verò est sola Paternitas. Igitur Paternitas dicit cognoscibilitatem unius tantùm formalitatis; Pater verò dicit cognoscibilitatem Paternitatis, & essentiæ. Itaque solùm in esse rei dicit Paternitas totum id, quod dicit Pater, cùm hóc modô omnia in Deo transeant in omnimodam realitatem, & formalitatem.

386 Instabis. Essentia Divina est prædicatum superius respectu Paternitatis; ergo adhuc in esse intelligibili est de illius conceptu. Respondeo ad instantiam negando antecedens, & consequentiam; quia etsi essentia Divina in esse rei sit Paternitas, non sequitur, quòd in esse objicibili sit prædicatum logicè superius respectu Paternitatis, nec quòd sit de illius conceptu. Unde Essentia solùm est prædicatum commune relationibus: & licèt relationes sint rationes ipsam essentiam determinantes sine potentialitatis imperfectione, nullatenus illam in suo conceptu includunt; neque enim rationale includit

cludit animal in suo conceptu, licèt illud determinet ad constituendum hominem.

387 Objicies tertio. Essentia Divina est simpliciter infinita, & perfecta: ergo in suo conceptu involvit relationes, adeoque non distinguitur ab illis in esse objicibili Maior est certa. Probas consequentiam. Quod est simpliciter infinitum debet includere omnes perfectiones non tantùm simpliciter simplices, sed etiam secundùm quid: ergo. Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem distinguo antecedens: si id, quod est simpliciter infinitum sumatur prout est in esse rei, concedo antecedens: si sumatur in esse objicibili per ordinem ad intellectum creatum, nego antecedens. In esse rei verum est, quòd tam relationes sint de conceptu essentiæ, quàm è contra; at in esse objicibili, cùm inadæquatè objiciantur illæ perfectiones, secundùm id, quod habent à parte rei, nec essentia est de conceptu relationum, nec è contra relationes sunt de conceptu essentiæ.

388 Instabis. Essentia Divina objicitur intellectui ut Divina; sed non potest objici ut Divina, quin includat in suo conceptu omnes perfectiones: ergo adhuc in esse objicibili includit in suo conceptu omnes perfectiones. Respondeo ad instant. concessa maiore, negando minorem; quia ut aliquid objiciatur ut Divinum sufficit, quòd concipiatur dicens negationem essendi ab alio causaliter. Unde essentia Divina præcisè in ratione Divinæ, nec includit in suo conceptu omnes perfectiones, nec dicit infinitatem simpliciter, & in hoc sensu procedit solutio sup. data n. 351. Benè verò est, quód si essen-

essentia Divina, ut essentia Divina objiciatur intellectui, dicat infinitatem simpliciter, quatenus continet perfectionem cujuscumque generis vel actualis, vel possibilis.

389 Ad hujus intelligentiam adverte, quòd esse à se dupliciter potest intelligi: primô modô, quatenus dicit negationem essendi ab alio causaliter, quô pactô quælibet perfectio Divina est à se, sive sit essentia, sive attributum, sive relatio: secundô modô, quatenus dicit negationem essendi ab alio non solùm causaliter, sed etiam resultativè, & hôc modô sola essentia Divina est à se. Igitut ut aliqua Dei perfectio concipiatur simpliciter infinita non sufficit, quòd concipiatur ut Divina præcisè, nec præcisè ut dicens negationem essendi ab alio primô modô: sed est necesse, quòd concipiatur, seu objiciatur intellectui dicens negationem essendi ab alio secundô modô, quô pactó potest objici intellectui essentia Divina ut talis, & non præcisè ut Divina.

390 Replicabis. Ergo essentia Divina non solùm in esse rei, sed etiam in esse objicibili est simpliciter infinita; sed eo ipso includit in suo conceptu omnes perfectiones Divinas: ergo includit in suo conceptu relationes adhuc in esse objicibili. Respondeo ad replicam concedendo illationem, & disting. minorem: secundùm id, quod habet in esse rei, concedo minorem: secundùm id, quod habet in esse objicibili, nego minorem, & consequentiam. Non sequitur, quòd in esse objicibili essentia includat formaliter relationes, aut attributa, licèt etiam in esse objicibili concipiatur essentia ut infinita simpliciter in omni genere; quia ad hoc satis est,

est, quòd concipiatur continens formaliter prædicata quidditativa ipsius essentiæ, relationes verò, & etiam attributa originativè, & cæteras perfectiones creatas eminenter.

391 Unde sicut non sequitur, quód esse intelligibile essentiæ Divinæ sit esse intelligibile creaturarum, licét perfectiones creatæ in Deo sint ipse Deus, ut loquuntur D. August. & Anselmus; ita non sequitur, quòd esse intelligibile relationum, aut attributorum sit esse intelligibile essentiæ Divinæ, licèt realiter, & formaliter absolutè tam relationes, quâm attributa sint ipse Deus: adeoque licèt essentia Divina, etiam per ordinem ad intellectum creatum sit simpliciter infinita, & perfecta, distinguitur formaliter intentionaliter à cæteris perfectionibus absolutis, & relativis. Ultima ratio est; quia non aliter intellectus noster concipit in Deo illas perfectiones, nisi ad instar creaturarum, in quibus proprietates certò supponunt essentiam constitutam.

D. August.
D. Anselmus.

392 Objicies quarto. Si inter essentiam, & relationes daretur distinctio formalis intentionalis salvarent Bacconistæ in Divinis illa contradictoria, quæ Scotistæ sua distinctione salvant; sed distinctione formali intentionali non possunt salvari contradictoria illa, quæ Scotistæ suâ distinctione salvant: ergo talis distinctio ut insufficiens ad illa salvanda debet excludi à prædicatis illis, scilicet essentiâ, & relationibus. Maior liquet; quia ubi Scotistæ admittunt distinctionem ex natura rei, ponunt Bacconistæ distinctionem intentionalem. Probas minorem. Distinctione, quæ tota est per ordinem ad intellectum, non possunt salvari contradictoria, quæ sine

ſine reſpectu ad intellectum verificantur; ſed Scotiſtæ ſalvant ſuâ diſtinctione contradictoria, quæ ſine reſpectu ad intellectum verificantur, nempe, *Filiatio producitur, eſſentia non producitur*, & ſimilia: ergo. Reſpondeo ad objectionem negando maiorem, & ad inſinuatam probationem dico, Bacconiſtas ſolùm ponere diſtinctionem intentionalem inter formalitates ad ſalvanda contradictoria, quæ talia ſunt in eſſe objicibili, non in eſſe abſoluto formali. Solutio patebit, ſi rectè attendatur ad id, quod dictum eſt ſupra n. 399.

393 Objicies quinto. Si inter eſſentiam, & relationes daretur diſtinctio Bacconica, eſſentia, & relationes importarent diverſas cognoſcibilitates; ſed non important: ergo. Maior eſt certa. Probas minorem. Si importarent diverſas cognoſcibilitates, cognoſcibilitates iſtæ eſſent quid relativum; ſed non poſſunt eſſe quid relativum: ergo. Maior liquet; nam ſi tales cognoſcibilitates eſſent quid abſolutum, coincideret diſtinctio Bacconica cum Scotica. Probas minorem. Si eſſent quid relativum eſſent quid relativum rationis: hoc non: ergo. Maior conſtat; nam ſi eſſent quid relativum reale aſſignaretur genus relationis realis ad quod poſſint reduci, quod eſt difficile. Probas minorem. Tales reſpectus fundantur in entitate reali: ergo non poſſunt eſſe quid relativum rationis. Reſpondeo ad objectionem conceſſa maiore, negando minorem; ad cujus probationem conceſſa maiore, nego minorem; ad cujus probationem conceſſa maiore, nego minorem; ad cujus probationem conceſſo antecedente, nego conſequentiam, quia licèt tales reſpectus ſint rationis, cùm ita dicantur quatenus dicunt

cunt ordinem ad rationem, possunt optimè fundari in entitate reali; maximè cùm entitas realis illas non fundet per relationem realem, vel per relationem, quæ sit alterius prædicamenti. Addit Mag. de Castilla posse tales respectus dici quid absolutum, quin nostra distinctio coincidat cum Scotica; quia solùm sunt quid absolutum contrapositum relativo secundùm esse, & prædicamentaliter. Hæc objectio non tantùm impugnat distinctionem intentionalem inter essentiam, & relationes, sed etiam inter essentiam, & attributa, imó, & inter gradus metaphysicos creatos; & ideo ubicumque proponatur sic erit solvenda. Ex dictis

de Castilla.

394 Deduces, nostram distinctionem re ipsa non differre à distinctione D. Angelici; (& si præclarissimi Thomistæ aliter suam distinctionem explicent) hanc enim fuisse mentem D. Thomæ fatetur Bacconius in 1 dist. 24. q. 1. art. 4. § 2. sequentibus verbis: *Quando verò dicitur, quod differunt ex natura rei formaliter sm. definitionem, seu in ordine ad intellectum, solùm denotatur distinctio formalis ex parte rei sub hoc sensu, scilicet, quod res ex natura sua nata est concipi sub diversis conceptibus formalibus, sicut aliqui dicunt, quod quælibet res quantumcumque simplex ex natura sua nata est concipi sub diversis conceptibus; ut Angelus, quòd sit Angelus, & substantia, & ens: & iste modus videtur fuisse* (Divi) *Thomæ quando dixit in* 1. *dist.* 33. *quod differunt definitione, non ratione, quæ est in rationabilitate tãtùm.* Ea propter non impugnamus, nec impugnare possumus distinctionem Thomisticam; sed solùm modum explicandi, de quo jam sup. n. 296. Et hæc sufficiant pro distinctione formali tam Scotica, quàm Bacconica.

Bacconius.

DIS-



DISPUTATIO IV.


DE DISTINCTIONE VIRTUALI, & Diſtinctione Rationis.

SECTIO I.

De Diſtinctione Virtuali.

QUÆSTIO I.

Utrùm Diſtinctio Virtualis ſit maior Diſtinctione Reali?

395 Eſolutio eſt negativa, & deducta ex Doctore in 3. diſt. *Baccon.*
10. q. 1. art. 7. ℣. *Ad argumentum.* Hanc tenent noſtri Magiſtri, & debet eſſe certa apud omnes. Verùm ad reſolutionis intelligentiam prænoto, diſtinctionem virtualem non dicere negationem identitatis virtualis, licet diſtinctio realis dicat negationem identitatis realis, & diſtinctio formalis negationem formalis identitatis. Ratio hujus eſt; quia diſtinctio realis,

& formalis sunt distinctiones in re; distinctio autem virtualis solùm est realis in virtute. Igitur distinctio virtualis solùm dicit virtualem negationem identitatis realis, negatque in virtute eamdem identitatem, quam in re negat realis distinctio. Hoc prænotato,

396 Probo resolutionem sic. Si distinctio virtualis esset maior distinctione reali diceret maiorem negationem identitatis; sed non dicit: ergo non est maior distinctione reali. Maior constat ex constitutivo distinctionis de quo disp. I. sectione I. Probo minorem. Distinctio virtualis tantùm negat in virtute identitatem realem; distinctio verò realis hanc negat in re; sed negare in virtute non dicit maiorem negationem quàm negare in re: ergo distinctio virtualis non dicit maiorem negationem identitatis, quàm distinctio realis, adeoque non est maior istâ.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

397 NOstræ resolutioni opponuntur pauci in suis m. s. dicentes, virtualem distinctionem maiorem esse reali, negari non posse à Doctoribus asserentibus, unionem hipostaticam esse omnium maximam. Pro istis objicies primò. Distinctio virtualis distinguit extrema magis indistincta: ergo est maior omnibus distinctionibus ac per consequens distinctione reali. Probas antecedens. Distinctio virtualis distinguit extrema, quæ identificantur realiter: ergo. Probas consequentiam. Unio, quæ Unit extrema magis distincta est omnium maxima; ergo distinctio, quæ distinguit extrema

extrema magis indistincta est maior omni distinctione. Probas antecedens. Unio hipostatica est unio omnium maxima; sed nullo ex capite, nisi quia unit extrema magis distincta: ergo.

398 Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem nego antecedens; ad cujus probationem data maiore, nego minorem. Quia dato quod unio hipostatica sit omnium maxima, ideo est quoniam illius extrema nunquam dejungi, aut separari possiunt juxta illud D. Leonis Serm. de Passione Domini: *Nec suplicio potuerit dirimi, nec morte dejungi.* Dixi *data maiore*; quia si unio sumatur ob privationem distinctionis unitorum, sine dubio maiores sunt, in hoc sensu, hipostaticâ unione, plurium formarum uniones realiter inter se identificatarum ut v.g. unio inter rationabilitatem, & animalitatem hominis & similes. Videatur Mag. Orland. in 3. p tract. 1. de Incarnat. disp. 4. et Mastrius tom. 3. Theologiæ disp. 1. de Dominica Incarnatione q. 2. de Natura Unionis art. 1. n. 40.

D. Leon. *Orlando.* *Mastrius.*

399 Objicies secundò. Distinctio virtualis excludit omnem identitatem: ergo est maior omni distinctione. Probas antecedens. In tantùm non excluderet omnem identitatem in quantùm non excluderet identitatem realem; sed excludit: ergo. Maior supponitur ut certa. Probas tamen minorem. Excludit identitatem virtualem: ergo etiam realem. Antecedens liquet. Probas consequentiam. Non potest excludi maior identitas, quin excludatur minor; sed identitas virtualis est maior identitate reali; ergo si distinctio virtualis excludit identitatem virtualem excludit quoque identitatem

 realem.

realem. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam; ad cujus probationem nego maiorem. Solutio patet ex supra dictis disp. præcedente n. 327. & 333.

400 Obiicies tertiò, & fortiter. Indistinctio virtualis est maior indistinctione reali: ergo distinctio virtualis est maior distinctione reali. Probas antecedens. Indistinctio virtualis non solùm excludit distinctionem virtualem, sed etiam realem; indistinctio verò realis solùm excludit distinctionem realem: ergo indistinctio virtualis est maior indistinctione reali. Probas consequentiam. Maioritas unius oppositi arguitur ex maioritate alterius; sed distinctio & indistinctio opponuntur: ergo si indistinctio virtualis est maior indistinctione reali, sequitur, quòd distinctio virtualis sit maior distinctione reali. Probas maiorem. Ex maioritate peccati arguitur maioritas virtutis illi oppositæ; sic ex maioritate impatientiæ arguitur maioritas patientiæ, & ex maioritate intemperantiæ maioritas temperantiæ: ergo.

401 Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem nego maiorem; ad cujus probationem distinguo antecedens: ex maioritate peccati arguitur maioritas virtutis illi oppositæ, aliquando, concedo antecedens: semper, nego antecedens. Quia casu, quo Petrus firmiter credat in unum Deum, & non Paulus; Paulus tamen succurrat egeno, & non Petrus, in hoc casu peccatum Pauli est maius peccato Petri, & tamen virtus ipsi opposita non est

eſt maior virtus, hæc enim eſt virtus oppoſita peccato Petri, juxta illud Apoſtoli ad Corinth. cap. 13.

402 Caſu etiam, quòd quidam comes adverſetur ſumoperè Marchioni, & alius particularis homo adverſetur Regi, non infertur ex maioritate Regis maioritas ſui oppoſiti; cùm maius eſſet oppoſitum Marchioni: ergo quemadmodum in politicis ex maiori dignitate unius oppoſiti non infertur maioritas dignitatis alterius oppoſiti, & in moralibus non ſequitur ſemper maioritas virtutis ex maioritate peccati, ita in philoſophicis non eſt cur ſemper arguatur maioritas unius oppoſiti ex maioritate alterius, adeoque licèt identitas virtualis ſit maior identitate reali propter rationem objectionis, non ſequitur, quòd diſtinctio virtualis ſit maior diſtinctione reali propter reſolutionis fundamentum. Ex quibus

403 Deduces, diſtinctionem virtualem minorem eſſe diſtinctione reali; quia iſta facit, quòd unum non ſit realiter aliud; illa verò ſolùm facit, quòd munus unius non ſit munus alterius. Si tamen attendatur ad præciſam rationem diſtinctionis, nec diſtinctio virtualis eſt maior reali, nec realis eſt maior virtuali; quia tam verum eſt dicere, Naturam Divinam virtualiter diſtingui à Filiatione, quàm dicere, Filiationem non eſſe realiter Paternitatem.

QUÆSTIO II.

Utrùm distinctio virtualis Maxima admittenda sit in creatis ad salvanda aliqua contradictoria physica.

Baccon. 404 RESolutio est negativa, & deducta ex Doctore quodl. 3. q. 8. ℣. *Item hoc probatur*. Quem sequitur Mag. Garcia in Megal. dist. 2. q. 1. art. 4. §. 4. & omnes discipuli ejusdem Doctoris. Pro eâdem resolutione stat Arriaga in log. disp. 5. sectione 2. subs. 3. & Oviedo in Metaph. controv. 4. puncto 4. §. 3. concludens his verbis: *Hæc enim virtualis distinctio in creaturis admissa totam evertit Philosophiam, humanis Divina confundit, eademque regula metitur, Dei esse per essentiam infinitam, & finitam limitatamque creaturarum, perfectionem.* Favent etiam Mastrius in Metaph. disp. 6. de Passionibus entis q. 12. Et Poncius in Metaph. disp. 4. q. 2 n. 18. Meritò hîc numerandus est Franciscus Palanco in log. tract. 3. de Univers. q. 4. & Petrus Manso Augustinianus in log. tom. 2. lib. 3. q. 8. Et hæc resolutio est communis inter Doctores. Sed antequam illam probem,

Garcia. Arriag. Oviedo. Mastrius. Poncius. Palanco. Manso.

405 Prænoto primò, distinctionem virtualem maximam non dicere negationem identitatis virtualis, sed solùm negationem virtualem identitatis realis physicæ juxta id, quod dictum est sup. n. 395. de distinctione in communi, & infra erit dicendum n. 502. de distinctionis virtualis maximæ, & minimæ quidditatibus. Prænoto secundò, contradictoria alia dici physica sive absoluta, & alia intentionalia

nalis sive diminuta. Prioris generis sunt ea, quæ absolutè, & sine respectu ad intellectum verificantur de eodem; sic si de Petro verificaretur, quòd esset, & non esset productus, verificaretur contradictio physica, sive absoluta. Posterioris generis ea sunt, quæ non absolutè sed cùm ordine ad intellectum verificantur de eodem physicè sumpto, distincto tamen in linea obiicibili; sic quando de Petro verificatur, quòd cognoscatur ut animal non ut rationale, verificatur de eodem contradictio intentionalis, sive diminuta, quæ tamen non est rigorosa sicut contradictio physica. De his ulterius erit agendum infra q. 3. n. 431. quibus notatis,

406 Probo resolutionem hoc unico fundamento communi, sed solidissimo. In creatis nulla entitas est capax suscipiendi contradictoria physica: ergo distinctio virtualis maxima admittenda non est ad talia contradictoria salvanda. Probo antecedens. Tunc in creatis aliqua entitas esset capax suscipiendi contradictoria physica quando idem prædicatum physicè affirmaretur, & negaretur cum veritate de entitate ipsâ; sed de nulla entitate potest idem prædicatum physicè affirmari, & negari cum veritate: ergo. Maior liquet. Probo minorem. Prædicatum, quod physicè affirmatur de aliqua entitate, physicè identificatur cum illa, & prædicatum, quod physicè negatur, physicè distinguitur ab eadem entitate; sed idem prædicatum non potest physicè identificari cum eadem entitate, à qua physicé distinguitur: ergo. Maior est certa. Minor constat ex illo infallibili principio: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, quod in creatis nemo huc usque negavit.

Proponuntur Objectiones, & dissolvuntrr.

407 NOstræ resolutioni opponuntur aliqui R.R. sequentes Richardum Lynceum fortissimum hujus distinctionis propugnatorem in log. libro 8. tit. 5. & in Metaph. lib. 2. tit 4. Hanc etiam distinctionem in creatis videtur admittere Maur. in log. q. 22. & Ægidius lusitanus, pro quibus objicies primò. Produci, & non produci sunt prædicata contradictoria physica; sed hæc verificantur de eâdem indivisibili entitate creatâ: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Malitia, & entitas peccati sunt eadem indivisibilis entitas creata; sed entitas peccati producitur à Deo, quin producatur malitia: ergo produci, & non produci verificantur de eâdem indivisibili entitate creata. Valde urget hæc objectio in sententia communi Thomistarum ponente malitiam formalem peccati in positivo, & hac de causa Palanco citatus, relicta tali opinione, malitiam ponit in privativo, quam sententiam, utpotè ex D. Aug. decuctam sequirur etiam Manso laudatus n. suo 7. Ad hæreo his AA. quia doctrina, quam tradunt in hoc puncto cohæret principiis Bacconii, & ideo

Lynceus. *Maur.* *Ægidius.* *Palanco.* *Manso.*

408 Respondeo ad objectionem concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem nego maiorem; quia malitia formalis peccati consistit in privativo, non in positivo', juxta Bacconium dicentem: *Defectio autem sôlùm dicit privationem seu avertionem.* Et quòd dictum Bacconii intelligatur de malitia peccati probat Mag. Zagaglia tom. in Supplento Bacconii p. 2. d. 8. sect. 1. citans etiam verba

Baccon. *Zagaglia.* *August.*

verba Augustini: *Malam voluntatem non facit nisi defectio.* Unde cùm privatio non possit identificari cum entitate positiva, bene sequitur, quòd malitia identificari non possit cum entitate peccati, & sic præclusa manet tota vis objectionis.

409 Objicies secundò. Possibilis est creatura, quæ habeat virtutem ad infinitos effectus: ergo etiam creatura, quæ habeat capacitatem ad prædicata contradictoria physica. Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam. Diversa ratio est; quia illa creatura habens virtutem ad infinitos effectus habet talem virtutem participatam à Deo, & ideo non repugnat: at si esset capax suscipiendi contradictoria physica, esset & non esset creatura, quod repugnat. Esset, ut supponitur, non esset, quia hoc quod est suscipere contradictoria physica dicit virtutem æquipollentem rebus realiter distinctis, quod solùm in entitate Divinâ, utpote illimitatâ reperiri potest.

410 Objicies tertiò, & erit simul instantia suprapositæ objectionis. Eadem entitas creata præstare potest quod præstant duæ realiter distinctæ; sed in hoc consistit capacitas ad prædicata contradictoria physica: ergo. Probas maiorem. Animal Petri non est minus perfectum quàm animal leonis; deinde rationale Petri est æque perfectum ac rationale Pauli: ergo animali leonis, & rationali Pauli realiter distinctis æquipollet eadem indivisibilis entitas, nempe animal rationale Petri. Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem concesso antecedente, distinguo consequens: animali leonis, & rationali Pauli æquipollet eadem indivisibilis entitas, quoad perfectionem, concedo

con-

consequentiam, quoad capacitatem, nego consequentiam; aliàs sicut animal leonis produci potest non producto rationali Pauli, ita posset produci animal Petri, suo rationali non producto. Igitur æquipollentia quoad perfectionem non est, quæ arguit distinctionem virtualem maximam, sed solùm æquipollentia quoad capacitatem, & quoad distinctionem realem.

411 Objicies quartò. De eadem unione, qua materia unitur formæ verificatur, quòd dependeat, & non dependeat immediatè à materia; sed hæc sunt contradictoria physica: ergo ad illa salvanda admitti debet distinctio virtualis maxima. Probas maiorem. Unio, quâ materia unitur formæ, est modus realiter distinctus à materia, deinde dependet à materia mediante passione; sed quatenus modus, dependet à materia immediaté, & quatenus mediat passio, non dependet immediatè: ergo. Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem nego maiorem; quia in sententia Bacconii unio non est tertia entitas, aut modus distinctus à materiâ, & formâ, sed forma per se ipsam informat materiam, absque unione distincta juxta illud D. Athanasii: *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus.* (D. Athanas.) Dato tamen, quòd unio dependeret immediatè à materia tanquam modus ab ipsâ distinctus, non proinde verificarentur de unione prædicata contradictoria physica: cùm illa dependentia immediata, & mediata esset secundùm rationes realiter distinctas, quæ tollunt omnem physicam contradictionem.

412 Objicies quintò. Casu, quo Petrus esset

bilo-

bilocatus Eboræ, & Conimbricæ, posset Eboræ calefieri, & non Conimbricæ; sed in tali casu verificarentur de eodem Petro contradictoria physica: ergo. Maior supponitur ut certa. Probas minorem. In tali casu verum esset dicere, *Petrus est calefactus, Petrus non est calefactus*: ergo. Respondeo ad objectionem concessa maiore, negando minorem; ad cujus probationem nego antecedens; quia quanvis esset verum dicere, *Petrus est calefactus*, falsum tamen esset dicere, *Petrus non est calefactus*; talis enim propositio, cùm sit negativa, supponeret Petrum nullibi esse calefactum. Si dicas, Petrum non esse calefactum Conimbricæ, verum dicis; sed cum tali addito jam contradictoria non essent physica, & absoluta, quod bene notavit Garcia hîc n. suo 614. Addo, Petrum in eo casu non fundare contradictoria illa ratione sui, sed tantùm ratione diversarum ubicationum, per quas excluderetur contradictio rigorosa. *Garcia.*

413 Objicies sextò. Distingui, & non distingui fundamentaliter in lineâ physicâ sunt prædicata contradictoria physica; sed hæc verificantur de eadem entitate creata: ergo ad illa salvanda debet admitti distinctio virtualis maxima. Maior liquet. Probas minorem. De animali verificatur, quòd distinguatur fundamentaliter à rationali; sed etiam verificatur, quòd non distinguatur fundamentaliter à rationali: ergo. Maior est certa. Probas minorem. De animali verificatur, quòd non distinguatur fundamentaliter ab animali; sed animal physicè est rationale: ergo de animali verificatur quòd non distinguatur fundamentaliter à rationali.

414 Respondet Manso citatus n. suo 6. talia *Manso.*

præ-

prædicata non esse contradictoria, nam, inquit: *Contradictoria sunt.* Affirmatio, & negatio ejusdem de eodem secundùm idem: *Sed talia non sunt affirmatio, & negatio ejusdem, quia de animali affirmatur distinctio virtualis à rationali, & non negatur distinctio virtualis à rationali, sed distinctio virtualis à se ipso.* Sed contra; quia in hoc casu datur affirmatio, & negatio ejusdem; nam animal physicé est rationale: ergo si negatur de animali, quòd distinguatur physicé fundamentaliter, seu distinctione virtuali minimâ à rationali, negatur etiam, quòd distinguatur à se ipso, ac per consequens de eodem animali affirmatut, & negatur distinctio fundamentalis â rationali. Igitur

415 Respondeo ad objectionem concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem nego maiorem; quia animal hominis (de quo loquitur) in lineâ physicâ non dicit solùm prædicata animalis, sed etiam rationalis, quod cum illo physicé identificatur, ideoque sicut est verum dicere, quòd physicé fundamentaliter distinguatur à rationali, in eodem sensu verum est, quòd à se ipso distinguatur. Unde sensus propositionis affirmantis, *Animal distinguitur fundamentaliter ab animali,* est hic: *In eadem entitate animalis datur fundamentum ad distinguendas diversas formalitates,* & talis sensus est verus; quia cùm illa entitas animalis sit eadem entitas rationalis, & animal, & rationale sint formalitates distinctæ in lina objicibili, ab illa indivisibili entitate resultantes, non est cur non admittatur, quòd animal distinguatur fundamentaliter à se ipso, dum distinguitur fundamentaliter

mentaliter à rationali cum quo est idem. Et sic non verificatur contradictio de eodem animali phisicé sumpto, nec est cur admittatur distinctio virtualis maxima ad illam salvandam.

416 Objicies septimò. Petrus non distinguitur, & distinguitur virtualiter à lapide; sed hæc sunt contradictoria: ergo idem quod sup. Probas maiorem quoad primam partem. Petrus solùm distinguitur à lapide physicè; sed distinctio physica non est distinctio virtualis: ergo. Probas eamdem minorem quoad secundam partem. Petrus non habet identitatem virtualem cum lapide; sed negatio identitatis virtualis nihil aliud est, quàm distinctio virtualis: ergo Petrus distinguitur virtualiter à lapide. Maior est certa. Probas minorem. Negatio identitatis realis est distinctio realis: ergo negatio identitatis virtualis nihil aliud est, quàm distinctio virtualis. Antecedens constat ex dictis disp. 1. n. 1. consequentia tenet à paritate. Hæc objectio videtur habere vim, supposito constitutivo distinctionis in negatione identitatis; verùm si rectè attendatur ad ea, quæ sup. dicta sunt n. 5. & 405. non erit operosum respondere. Ex ibidem dictis

417 Respondeo ad objectionem concessâ maiore quoad primam partem, negando quoad secundam, ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia distinctio realis est in re vera, & rigorosa distinctio, & ideo verè, & rigorosè negat identitatem realem; at distinctio virtualis non est distinctio rigorosa in re, sed solùm est talis in virtute, & ideo solùm negat in virtute id, quod negat in re distinctio realis;

quare

quare non dicit negationem identitatis virtualis, sed negationem virtualem identitatis realis Hinc, ut Petrus distingueretur virtualiter à lapide, opus erat dicere in virtute tantùm negationem identitatis realis cum lapide; constat autem Petrum non dicere negationem tantùm in virtute, sed realem negationem identitatis cum lapide, quâ de causâ non virtualiter, sed realiter physicè distinguitur à lapide, licet non habeat inentitatem virtualem cum illo.

418 Addo, istam propositionem, *Quod non habet identitatem virtualem cum alio distinguitur virtualiter ab illo*, solùm habere locum in rebus physicè identificatis, in quibus tantùm reperiuntur extrema distinctionis virtualis. Sic quia Paternitas identificatur physicè cum naturà Divinâ, idem est dicere, Paternitas non habet identitatem virtualem cum naturâ, ac dicere, Paternitas distinguitur virtualiter à naturâ. Itaque non sufficit, quòd detur negatio identitatis unius cum alio, ut unum ab alio distinguatur, sed necesse est, quód illud quod distinguitur detur, & supponat juxta genus, & extrema distinctionis.

Lynceus. 419 Objicies octavò pro Richardo Lynceo sup. citato. Visus percipiens albedinem attingit habitudinem, quam dicit albedo ad effectus ejusdem; sed non attingit habitudinem, quam dicit ipsa albedo ad Deum: ergo inter eas habitudines admitti debet distinctio virtualis maxima. Maior est certa. Probas minorem. Si visus percipiens albedinem attingeret habitudinem, quam dicit ipsa albedo ad Deum, sequeretur, quòd Deus tangeretur visû; hoc non: ergo. Respondeo ad objectionem concessâ maiore, negan-

negando minorem; ad cujus probationem nego sequelam maioris; non enim sequitur, quòd Deus tangi possit à visu, licèt tangatur habitudo ad ipsum Deum, sicut non sequitur (etiam juxta Lynceum) quòd visio de facto sit reflexa supra species impressas, licet tangat habitudinem ad illas. Unde quòd visus non transeat ad cognitionem terminorum, quos respicit ea albedo, provenit ex imperfectâ ejusdem albedinis cognitione. Cùm tamen tangat omnes ejusdem albedinis habitudines, non verificantur prædicata contradictoria de eadem, scilicet attingi, & non attingi.

420 Objicies nonò fundamento, quod est Achilles ejusdem Lyncei. Amor Dei, & odium peccati in verâ contritione sunt eadem physica entitas a parte rei; sed de tali entitate verificantur contradictoria physica: ergo. Maior est certa. Probas minorem. De tali entitate verificatur, quòd terminetur ad Deum, & quòd non terminetur ad Deum, sed hæc sunt contradictoria physica: ergo. Probas maiorem. Talis entitas est simul amor, & odium; sed quatenus amor terminatur ad Deum, & quatenus odium non terminatur ad Deum: ergo de tali entitate verificatur, quòd terminetur ad Deum, & quòd non terminetur ad Deum. Respondeo ad objectionem concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem nego maiorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; quia in actu contritionis non solùm terminatur ad Deum amor Dei, sed etiam odium peccati. *Linceus.*

421 Instabis. Si in actu contritionis odium terminaretur ad Deum, Deus diceretur odio habitus per actum contritionis; sed hoc non; ergo odium nullo

nullo modo terminatur ad Deum in actu contritionis. Probas sequelam maioris. Quia in actu contritionis amor terminatur ad Deum, dicitur Deus amatus per actum contritionis: ergo si in actu contritionis odium terminaretur ad Deum, Deus diceretur odio habitus per actum contritionis. Respondeo ad instantiam negando sequelam maioris; ad cujus probationem distinguo antecedens; quia in actu contritionis amor Dei terminatur ad Deum, Deus dicitur amatus per actum contritionis, concedo antecedens; quia præcisè terminatur amor ad Deum, nego antecedens.

422 Non sufficit, quòd præcisè terminetur amor ad objectum, ut objectum dicatur amatum, sed opus est, quòd talis amor sit amor ipsiusmet objecti ad quod terminatur; aliter Deus amando ignem inferni, quia animadversio est delicti, amaret utique ipsum delictum; & nos Deum ut punitorem damnatorum diligendo, utique diligeremus ipsos damnatos; hi namque dicuntur de connotato in objecto hujus dilectionis, sicut illud delictum in objecto illius amoris Dei · ergo si, ut objectum dicatur amatum, non sufficit præcisè, quòd ad illud terminetur amor, etiam, ut objectum aliquod dicatur odio habitum, non sufficiet, quòd ad tale objectum odium præcisè terminetur, sed necesse est, quòd terminetur odium ipsiusmet objecti, jam verò odium, quod in actu contritionis terminatur ad Deum non est odium Dei, sed est odium peccati, & ideo Deus non dicitur, nec dici potest odio habitus per actum contritionis.

423 Replicabis. Quando unum prædicatum affirmatur. & negatur de eodem subjecto de illo verificantur

rificantur prædicata contradictoria; atqui amari, & odio haberi sunt idem realiter prædicatum in actu contritionis, quo non obstante, amari realiter de Deo affirmatur, & odio haberi realiter de Deo negatur: ergo quidquid respondeas, semper admittis contradictoria in eadem physicâ entitate, nempe in actu contritionis. Respondeo ad replicam concessâ maiore, distinguendo minorem: amari, & odio haberi sunt idem realiter prædicatum in actu contritionis, &c. amari Deum, & odio haberi peccatum, concedo minorem: amari Deum, & odio Deum haberi, nego minorem, imò suppositum scilicet, quód in actu contritionis possit Deus odio haberi.

424 Urgebis. Tu concedis, quód, in actu contritionis, odium, & amor sint idem realiter prædicatum, & quòd objectum ad quod terminatur amor terminetur etiam odium: ergo sicut amor ille reddit objectum amatum, ita odium debet reddere objectum, nempe Deum, odio habitum. Antecedens constat ex concessis, & est certum. Probas consequentiam. Ex eo quòd sint idem cognitio, & repræsentatio, & nulla cognitio possit terminari ad objectum, quin illud repræsentet, sequitur quòd sicut per talem cognitionem dicitur objectum cognitum, ita dicatur repræsentatum: ergo si in actu contritionis odium, & amor sunt idem realiter prædicatum, & objectum ad quod terminatur amor, terminatur etiam odium, bene sequitur, quôd sicut amor ille reddit objectum amatum, ita odium debet reddere objectum odio habitum. Respondeo ad Urg. concesso antecedente, negando consequentiam. Diversa ratio est; quia cognitio est talis con-

 ditionis

ditionis ex natura sua, quòd sit repræsentativa objecti ad quod terminatur, quin indigeat tali vel tali respicientiâ; at vero amor, & odium sunt formæ talis naturæ, quòd non præstant suas denominationes licét terminentur ad objectum, nisi amor terminetur affectivè, & odium fugitivè.

425 Reurgebis. In actu contritionis odium terminatur ad Deum fugitivê: ergo reddit Deum odio habitum. Probas antecedens. In actu contritionis amor terminatur ad Deum affectivé: ergo odium terminatur ad Deum fugitivè. Antecedens est certum. Probas consequentiam. Quælibet forma præstat suum effectum in subjecto in quo recipitur, vel in objecto ad quod terminatur, dummodo tale sit capax ipsius effectûs; sed Deus non solùm est capax amoris, sed etiam odii: ergo sicut amor terminatur ad Deum affectivè reddendo Deum amatum, ita odium terminatur ad Deum fugitivè reddendo Deum odio habitum.

426 Respondeo ad reurg. negando antecedens; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam; quia licèt Deus per alium actum possit odio haberi, minimè per actum contritionis; siquidem cognitio illa illuminans ad contritionem non aliter Deum proponit, nisi ut summè bonum, & sine aliquâ mixturâ mali: jam verò voluntas fertur in objectum prout ab intellectu proponitur, ideoque per actum contritionis odio habetur peccatum, quia proponitur ut malum, & detestabile. Nec obstat, quòd in actu contritionis idem sint amor, & odium, & quòd simul terminentur ad Deum; nam odium illud in contritione repertum, terminatur ad Deum indivisibiliter cum amore, persequendo, & per accessum,

cessum, & ideo non est odium Dei, sed odium peccati à quo recedit. Hoc liquet exemplo motûs localis, quo quis movetur à termino à quo ad terminum ad quem, quin proinde talis motus sit recessus a termino ad quem, vel accesus ad terminum à quo, & tamen talis motus est indivisibilis.

427 Ad probationem consequentiæ distinguo maiorem: quælibet forma præstat suum effectum in subjecto; in quo recipitur, &c. vel adæquatum, vel inadæquatum, concedo maiorem; semper adæquatum, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: Deus non solùm est capax amoris, sed etiam odii, per actus diversos, concedo minorem: per actum contritionis, nego minorem. Unde amor, & odium in illa entitate indivisibili actûs contritionis solùm præstant in Deo effectum inadæquatum, cujus Deus est capax, & non effectum adæquatum reddendi Deum amatum, & simul odio habitum: sicut unio, quæ quanvis habeat pro effectu formali atringere duo extrema, non præstat in quolibet hunc effectum adæquatum. Idem liquet in cognitione, cujus effectus formalis adæquatus est reddere potentiam cognoscentem, & objectum cognitum, & tamen non præstat suum effectum adæquatum in sola potentià, vel in solo objecto.

428 Iterum reurgebis. Si Deus non posset odio haberi per actum contritionis, necessariò amaretur per talem actum: hoc non: ergo. Maior patet. Probas minorem. Deus liberè amatur à nobis per actum contritionis: ergo non amatur necessariò. Probas antecedens. Nos in tantùm meremur in quantùm liberé amamus; sed meremur amando Deum per actum contritionis: ergo Deus liberè amatur à no-

bis per actum contritionis. Respondent aliqui, Deum amari á nobis liberè per actum contritionis, libertate contradictionis, non libertate contrarietatis. Verùm hæc solutio non subsistit, quia quemadmodum taliter Deum diligimus, ut possimus non deligere, in quo consistit libertas contradictionis; ita Deum deligimus, ut possimus Deum odio habere, in quo stat libertas contrarietatis: ergo non minus reperitur in nobis libertas contradictionis, quám libertas contrarietatis ad Deum amandum, antecedenter ad actum contritionis; nec, posito tali actu, datur in nobis potiùs carentia libertatis contrarietatis, quàm contradictionis. Quare

429 Respondeo ad ultimam Reurg. disting. maiorem: Si Deus non posset odio haberi per actum contritionis, necessariò amaretur per talem actum, necessitate specificationis, concedo maiorem: necessitate exercitii, nego maiorem, & minorem in sensu distinctionis; ad cujus probationem distinguo maiorem: Deus liberè amatur â nobis per actum contritionis, idest, taliter elicimus talem actum ut possimus eum non elicere, vel elicere actum oppositum, concedo antecedens: idest, posito tali actu, possumus ponere ejus carentiam, vel actum oppositum, nego antecedens; ad cujus probationem concessâ maiore, & minore distinguo consequens modo dicto. Igitur necessitas altera dicitur exercitii, specificationis altera. Necessitas exercitii est illa, qua quis necessitatur ad elicientiam alicujus actûs in particulari, sic necessitatur Beatus in Patria ad amandum Deum. Necessitas specificationis est illa, qua quis elicit aliquem actum in specie ex suppositione, quòd velit aliquem actum elicere; & ista

repe-

reperitur in nobis ad elicientiam actûs contritionis, quia, supposito quòd talem actum elicere velimus, debemus ponere actum amoris, & non odii. Ex hucusque dictis

430 Deduces primò, nullum dari fundamentum ad admittendam distinctionem virtualem in creatis; cum repugnent contradictoria physica; & intentionalia salventur distinctione formali Bacconica. Nec curæ nobis esse debet Bacconius in 3. dist. 10. *Bacconius.* q. 1. art. 7. ℣. *Ad argumentum* dicens: *Contingere in creatis, ut cum identitate duorum reservetur eis subtilitas naturæ, ita quòd æque unus effectus potest concedi de uno, & negari de alio, ac si realiter differrent*; Siquidem Resolutus loquitur de distinctione virtuali minimâ, quæ est fundamentum distinctionis intentionalis. Deduces secundò, nihil verificari physicè de animali, quod de rationali non verificetur; in lineâ tamen intelligibili multa verificari de uno, quæ de altero non verificantur, quin opus sit recurrere ad distinctionem virtualem maximam, juxta sup. dicta disp. 3. n. 245. Aliæ objectiones, quæ hanc distinctionem videntur probare in creatis, militant etiam pro sententiâ Scoti, & ideo manent solutæ disp. citata sectione 1. q. 1.

QUÆSTIO III.

Utrùm Distinctio virtualis Maxima admittenda sit in creatis ad salvanda aliqua contradictoria intentionalia?

Baccon.

431 RESolutio est negativa, & deducta ex Doctore loco sup. ubi solam admittit distinctionem virtualem minimam, excludendo absolutè maximam in creatis. Idem colligitur ex eodem in 1. dist. 2. q. 2. art. 3. §. 1. Ubi distinctionem tantùm intentionalem proponit ad contradictoria intentionalia salvanda. Pro hac resolutione stant Doctores omnes citati quæst. præcedenti n. 404. sed antequam illam probem, prænoto, contradictoria intentionalia aliquando dari inter ea, quorum unum verificatur in lineâ physicâ, & aliud in linea intentionali; aliquando verò inter ea, quorum unum, & aliud verificantur in eadem linea intentionali. Prioris generis sunt hæc: *Homo est resibilis*, *Homo, quia animal non est resibilis*. Posterioris generis sunt hæc: *Homo quia rationalis est resibilis*, *Homo quia animal non est resibilis*. Hoc prænotato,

432 Probo resolutionem sic. In tantùm admittenda esset distinctio virtualis maxima in creatis ad salvanda contradictoria intentionalia in quantum talia contradictoria non possent salvari sine tali distinctione; sed possunt: ergo non est cur in creatis admittatur talis distinctio. Maior est fundamentum partis adversæ. Probo minorem. Talia contradictoria salvantur beneficio distinctionis formalis intentionalis: ergo possunt salvari sine distinctione

ctione virtuali. Consequentia liquet. Antecedens constat ex dictis sup. disp. 3. sect 2. q. 1.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

433 NOstræ resolutioni opponuntur Rhodes tom. 2. Theolog. disp. 1. de Sacram. in genere q. 2. sect. 1. §. 1. *Ad quintam denique*. Comptonus in Log. disp. 24. sect. 6. n. 3. & Recentes alii, quos suppresso nomine refert Oviedo in Metaph. contr. 4. puncto 4. §. 4. pro quibus objicies primò. Si in creatis daretur fundamentum ad contradictoria physica, necessario admittenda esset distinctio virtualis maxima ad illa salvanda: ergo, cum dentur contradictoria intentionalia, eadem distinctione virtuali salvari debent. Antecedens constat ex dictis q. præcedenti. Probas consequentiam. Non minus sunt contradictoria, contradictoria physica, quàm contradictoria intentionalia: ergo si necessariò admittenda esset distinctio virtualis maxima ad illa salvanda, etiam ad ista. *Rhodes.* *Comptonus.* *Oviedo.*

434 Probas antecedens. Oppositio, quæ datur inter illa contradictoria physica v. g. *produci*, & *non produci* est oppositio contradictoria in rigore; sed talis est oppositio, quæ reperitur inter contradictoria intentionalia v. g. *cognosci*, & *non cognosci*: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Ideo prima oppositio est talis in rigore, quia ly *non* cadens supra verbum *produci* id ipsum negat, quod per illud fuerat affirmatum; (negatio enim formæ, formæ ipsi opponitur contradictoriè) atqui ly *non* cadens supra verbum *cognosci* etiam negat id ipsum, quod per illud fuerat affirmatum: ergo qualis est

oppositio inter contradictoria physica, talis est oppositio, quæ reperitur inter contradictoria intentionalia.

435 Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem nego antecedens; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem distinguo maiorem; ideo prima oppositio est talis in rigore, quia ly *non* cadens supra verbum *produci* id ipsum negat, indistinctum in re, quod per illud fuerat affirmatum, concedo maiorem: aliter, nego maiorem. Deinde nego minorem, & consequentiam. Quia cum in esse cognoscibili una formalitas non sit alia, falsum est, quód negetur id ipsum intentionaliter, quod intentionaliter fuerat affirmatum; hâc de causâ, licèt animal cognoscatur non cognito rationali, non proinde sunt rigorosè contradictoria *cognosci*, & *non cognosci*. At in contradictoriis physicis id ipsum negatur secundùm rem, quod secundum rem fuerat affirmatum; cum formalitates ejusdem rei in re identificentur, seu una sit physicè alia; ideoque contradictoria physica sunt talia in rigore.

Zagaglia.

436 Addit Mag. Zagaglia, ly *non* cadens supra verbum *cognosci* solùm negare, secundúm conceptum non ultimatum, id ipsum, quod per tale verbum fuerat affirmatum; non tamen id ipsum negare secundùm conceptum ultimatum. Est dicere, quod *non cognosci*, licèt neget id ipsum, quod est tale secundùm rem, neget tantùm ut jam intentionaliter distinctum. Unde non negat sicut ly *non* cadens supra verbum *produci*, quia talis negatio negat id ipsum secundùm rem indistinctum, & nul-

lâ

là præcedente distinctione. Hæc objectio est Achilles negantium præcisiones objectivas, & ideo erit, aliis terminis, proponenda iterum seq. sectione n. 531

437 Objicies secundò. Casu, quo non possent verificari de duobus prædicatis contradictoria physica, bene quidem intentionalia, prædicata illa essent physicé idem: ergo ad hoc ut talia prædicata physicè identificentur sufficit, quód de illis non possint verificari contradictoria physica, & non est cur negetur distinctio ad salvanda contradictoria intentionalia. Respondeo ad objectionem concesso antecedente, disting. consequens: ita ut talis distinctio sit formalis intentionalis, concedo consequentiam: ita ut sit distinctio maxima virtualis, nego consequentiam. Non nego dari illa contradictoria intentionalia, compatique cum identitate physica, sed solùm nego, quòd salventur beneficio distinctionis virtualis maximæ; cùm ad illa salvanda detur distinctio intentionalis Bacconica.

438 Objicies tertiò. Nihil potest simul amari, & non amari sine distinctione reali rigorosâ: ergo neque cognosci, & non cognosci sine distinctione virtuali maximâ. Respondeo ad objectionem negando antecedens; quia cúm in eadem re dentur formalitates diversæ, & distinctæ in esse intelligibili, potest una objici intellectui, & non alia, adeoque amari potest una, quin ametur alia. Quis enim vetat me complacere posse de meo rationali, non de meo animali: nego ergo consequentiam, & confirmo resolutionem. Ex dictis

439 Deduces, omnia contradictoria intentionalia de *cognosci*, & *non cognosci* (& etiam illa, quorum

rum unum verificatur in linea physica, seu absolutè, aliud vero in linea intentionali, sive cum addito, de quibus sup n 431.) solâ distinctione intentionali, quæ est vera, & realis distinctio, salvari posse; non distinctione virtuali maximâ, quæ in creatis tam ad contradictoria physica, quàm ad intentionalia est omnino fictitia, & chimærica.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Distinctio virtualis Maxima admittenda sit in Divinis inter Essentiam, & Relationes ad salvanda aliqua contradictoria physica, sive absoluta?

440 RESolutio est affirmativa, non expressa, sed satis deducta ex Doctore in 1. dist. 34. q. 1. §. 3. ℣. *Quartò me movet* ubi clarè docet, quòd munus Paternitatis non sit munus essentiæ, quanvis habeant idem esse essentia, & Paternitas. Defendunt resolutionem, ex nostris, Mag. Daniel à D. Josepho de Deo uno disp. 5. cap. 8 Mag. Lumbier de voluntate q. 3. art. 4. n. 69. & de Trinit. q. 8. de Relationibus Divinis art. 1. licèt discipuli Resoluti salvent communiter contradictoria omnia in Divinis sola distinctione formali intentionali ut dixi sup. disp. 3. sect. 2. n. 376. Pro virtuali maxima stant etiam Isquierdo Pharo scient. disp. 13. q. 7. Aranda lib. 1. de Deo disp. 2. sectione 3. Muniessa de Essentia, & Attributis disp. 7. sect. 7. & alii, quos citat, & sequitur Joannes Marin. tract. 2. de Trinitate disp. 3. sed ante resolutionis probationem.

Bacconius. *Daniel.* *Lumbier.* *Isquierdo.* *Aranda.* *Muniessa.* *Marin.*

441 Prænoto primò, distinctionem virtualem ma-

maximam dari inter ea, quorum munus unius non est munus alterius, licét esse unius sit esse alterius. Unde in Divinis etsi natura sit idem cum Filiatione realiter physicè, & sic esse naturæ sit esse Filiationis, tamen munus naturæ non est munus Filiationis; munus namque naturæ est communicari se omnibus Personis, quod non habet Filiatio. Hoc prænoto,

442 Probo resolutionem sic. Distinctio virtualis maxima salvat hæc contradictoria: *Natura communicatur, Filiatio non communicatur: Natura non producitur, Filiatio producitur*: ergo. Probo antecedens. Admissâ hâc distinctione in Divinis inter naturam, & relationes conservatur identitas realis physica naturæ cum relationibus, & verificatur, quòd, non obstante illâ identitate, munus naturæ non sit munus relationum: ergo distinctio virtualis maxima salvat talia contradictoria. Consequentia liquet. Antecedens constabit ex objectionum solutionibus.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

443 NOstræ resolutioni opponuntur varii AA. distinctionem virtualem maximam ex diversis capitibus impugnantes. Alii ex eo, quòd non sit dabilis absolutè talis distinctio. Ita quamplurimi Discipuli D. Angelici, quos sequitur Petrus Manso in Log. lib. 3. de Univ. q. 8. §. 1 nixus quatuor fundamentis, & n. 4. ℣. *Idem docet* citat Fundatissimum suum, & suum Lusitanum dicentem hanc sententiam esse communem omnium Antiquorum. Alii ex eo, quòd distinctio virtualis maxima *Ma[illegible]*

xima

xima se sola non possit salvare contradictoria physica in Divinis, nisi intercedat distinctio formalis Scotica. Ita ex Discipulis D. Subtilis Mastrius tom. 1. disp. 2. q. 2. art. 2. citans infinitos suæ Familiæ Patronos. Idem videri vult probare noviter Dominicus à D. Petro Alcantarensis in Metaph. disp. 5. q. 5. Alii ex eo, quòd dicta contradictoria salventur distinctione formali Bacconica. Ita ex Discipulis D. Resoluti Mag. Zagagl. tom. 4. tract. 2. disp. 3. sect. 1. n. 5. Mag. de Castilla tract. 2. de Deo uno q. 8. n. 264. Alii tandem ex eo, quòd admissâ tali distinctione, negari non possit Scotica. Ita plures. Pro omnibus, & in primis pro AA. primæ sententiæ cum Manso citato.

Mastrius. à D. Petro. Zagaglia. de Castilla. Manso. Conc. Florent. D. August.

444 Objicies primò. Concilium Florent. sess. 8. & sess. 19. declarat, quòd inter essentiam, & relationes nulla detur distinctio præter distinctionem rationis: ergo excludit distinctionem virtualem intrinsecam maximam. Confirmabis ex D. Augustino q. 17. de Trin. & aliis in locis ubi nullam admittit in Deo distinctionem ex natura rei. Respondeo ad objectionem concesso antecedente, dummodò nomine distinctionis rationis intelligatur etiam distinctio Bacconica, juxta sup. dicta n. 344. & nego consequentiam. Quia admissâ in Deo distinctione virtuali maxima, salvatur tota veritas Concilii caventis inter essentiam, & relationes distinctionem quamcumque veram, & rigorosam, facientemque quòd a parte rei essentia non sit relatio; cùm autem id non præstet distinctio virtualis maxima, quæ non est rigorosa distinctio realis, sed solùm talis in virtute, faciens tantùm quòd munus unius perfectionis non sit munus alterius, benè sequitur, quòd non

non excludatur à Concilio; imò admitti debet necessariò ut salvetur nostra Fides. Eodem modo respondeo ad auctoritates. D. Aug. quæ nihil, nec per umbram, contra resolutionem probant.

445 Objicies secundò cum eodem Manso ratione deducta ex eodem Augustino. Contradictoria in sensu reali verificata arguunt distinctionem realem entitativam: ergo non est dabilis distinctio virtualis intrinseca ad salvanda contradictoria in sensu reali. Probas antecedens ex D. Augustino lib. 11. de Civitate Dei cap. 10. ubi infert, quód incorruptibilitas corporis gloriosi realiter distinguitur à substantia corporea, quia suscipit illa contradictoria: *Æqualis, non æqualis.* Arguit sic: *Ita cùm sint inæqualis manus, & digitus, æqualis est tamen incorruptibilitas manus, & digiti. At per hoc, quanvis à corpore incorruptibili inseparabilis incorruptibilitas sit, aliud est tamen substantia, qua corpus dicitur, aliud qualitas ejus, qua incorruptibile nuncupatur.* *Manso.* *D. August.*

446 Respondeo ad objectionem disting. antecedens: contradictoria in sensu reali verificata arguunt distinctionem realem entitativam in creatis, concedo antecedens: in Divinis, nego antecedens; ad cujus probationem dico, optimam esse illationem D. Augustini inferentis distinctionem realem ex contradictoriis in sensu reali verificatis; pessimam tamen esse illationem Mansi concludentis in Divinis ex creatis. Datur enim infinita disparitas; quia entitas creata utpote limitata, & finita non est capax suscipiendi contradictoria physica; entitas verò Divina cùm sit illimitata, & infinita potest suscipere talia contradictoria, propter distinctionem

ctionem realem, quam habet in virtute, & in qua est tota difficultas Mysterii Trinitatis, cujus infinitudo mirum non est, quòd principia naturalia metaphysica prætervolet.

Manso. *D. Thomas.*

447 Objicies tertiò cum eodem Manso ex D. Thoma 1. p. q. 39 art. 1. ad secundum dicente: *Quòd in quantùm essentia, & Persona in Divinis Differunt secundùm intelligentiæ rationem, sequitur quòd aliquid possit affirmari de uno, quod negatur de altero*: ergo pro solvendis contradictoriis opus non est recurrere ad distinctionem virtualem intrinsecam maximam. Respondeo ad objectionem. D. Angelicum loquutum fuisse de contradictoriis in ordine ad nostros conceptus, ad quæ salvanda sufficit distinctio in esse cognoscibili, seu secundùm intelligentiæ rationem; non verò de contradictoriis physicis, quæ necessariò petunt aliquam distinctionem ex natura rei, saltem in virtute.

Manso.

448 Objicies quartò cum eodem Manso, ratione efformatâ ex implicantiâ contradictionis de eadem entitate in sensu reali. Tunc verificantur contradictoria in sensu reali, quando idem prædicatum affirmatur realiter, & negatur de eadem entitate; sed de eadem entitate nequit idem prædicatum realiter affirmari, & negari: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Prædicatum, quod realiter affirmatur de entitate, realiter identificatur cum illa, prædicatum, quod realiter negatur de entitate, realiter ab illa distinguitur; sed implicat, quòd unum, & idem prædicatum realiter identificetur cum ea entitate â qua realiter distinguitur: ergo.

449 Respondeo ad objectionem concessâ maiore,

re, distinguendo minorem: de eâdem entitate creatâ nequit idem prædicatum realiter affirmari, & negari, concedo minorem: de eadem entitate increatâ, subdistinguo: nequit idem prædicatum realiter affirmari quoad esse, & negari quoad esse, concedo minorem: realiter affirmari quoad esse, & negari quoad munus, nego minorem; ad cujus probationem concessâ maiore quoad primam partem, distinguo quoad secundam: prædicatum, quod realiter negatur de entitate, quoad esse, ab illa realiter distinguitur, concedo maiorem: prædicatum, quod realiter negatur quoad munus tantummodo, nego maiorem. Verum est, quòd in rebus creatis non possit idem prædicatum realiter affirmari, & negari de eadem entitate, & hoc fundamento excludimus distinctionem virtualem maximam à rebus creatis; at in Divinis potest idem prædicatum simul affirmari, & negari de eadem entitate, affirmari, inquam, quoad esse, & negari quoad munus, quod non petit distinctionem realem, sed tantùm virtualem. Ad plenam intelligentiam solutionis vide infra dict. n. 456. Hæc sunt fundamenta, quibus nititur sup. Citatus Manlo à n. suo 2. usque ad 5. Nunc pro AA. secundæ sententiæ

450 Objicies quintò cum Mastrio sup. citato n. suo 37. Admissâ distinctione virtuali maximâ inter essentiam, & relationes præcluditur omnis via probandi distinctionem realem personarum in Divinis contra hæreticum, vel infidelem Trinitatem negantem: ergo. Probas antecedens. Admissâ distinctione hâc inter Patrem, & Filium salvatur quòd Pater producat, & Filius producatur: ergo præcluditur omnis via probandi distinctionem realem per- *Mastrius.*

sonarum

ſonarum in Divinis. Probas antecedens. Admiſſâ tali diſtinctione in Divinis ſalvatur, quòd Paternitas producat, & Deitas non producat: ergo etiam, quòd Pater producat, & Filius producatur. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem nego antecedens; ad cujus probationem conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Diſparitas eſt; quia diſtinctio virtualis non facit quòd unum non ſit aliud realiter, ſed ſolùm quòd munus unius non ſit munus alterius, & ideo quòd Paternitas producat, & Deitas non producat arguit tantùm diſtinctionem virtualem; at verò diſtinctio realis facit quòd unum non ſit aliud realiter, ideoque debet admitti realis diſtinctio inter Patrem, & Filium, non præcisè ex eo, quòd Pater producat, & Filius producatur; ſed quoniam nec Fide nec ratione cogimur dicere, perſonas Divinas identificari realiter.

451 Inſtabis. Myſterium Trinitatis debet conſtitui digniori, & præſtantiori modo, quo poſſit ſine læſione ipſius myſterii; ſed per diſtinctionem virtualem inter perſonas, digniori, & præſtantiori modo conſtituitur, quàm per diſtinctionem realem: ergo. Maior eſt certa. Probas minorem. Diſtinguendo perſonas ſolùm virtualiter, ſervatur maior unitas, & ſimplicitas in Deo, quàm eas diſtinguendo realiter: ergo. Reſpondeo ad inſtantiam conceſſâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem nego antecedens; quia dari non poteſt unitas nec ſimplicitas maior unitate, & ſimplicitate ſummâ, quæ in Deo reperitur, non obſtante diſtinctione reali relationum; maximè cùm ipſæ relationes non uniantur inter ſe ad conſtituendum

unum

unum ficut uniuntur cum effentiâ.

452 Objicies fextò cum eodem Maftrio. Ad- *Maftrius.*
missâ tali diftinctione inter effentiam, & relationes ad folvenda contradictoria phyfica committitur circulus: ergo non debet admitti. Probas antecedens. Si quæratur, quare de Deo prædicata contradictoria enuntiantur, refpondebitur, quia licét Divina effentia fit una, & indivifibilis tam realiter, quàm formaliter, eft tamen multiplex virtualiter: & fi rurfus quæratur, quommodo fi eft una entitas fimpliciffima realiter, & formaliter, eft tamen multiplex virtualiter, refpondebitur, quia habet capacitatem ad prædicata contradictoria: ergo committitur circulus. Refpondeo ad objectionem negando antecedens: ad cujus probationem nego primam partem antecedentis; quia quærenti, quare de Deo prædicata contradictoria enuntiantur, folùm refponderi debet: quia fic docet Fides; quam fi neget hæreticus convincendus erit pro credibilitate Myfteriorum. Unde non committitur circulus; cùm non refpondeatur idem per idem, ut fupponit Maftrius.

453 Objicies feptimò Diftinctio virtualis maxima non eft diftinctio formalis; fed diftinctio, quæ non eft formalis, non eft fufficiens ad falvanda prædicata contradictoria in Divinis: ergo Major eft certa. Probas minorem. Prædicata contradictoria in Divinis verificantur formaliter; formaliter namque actu à parte rei verum eft, quòd natura communicetur, & non communicetur Paternitas; fed ad falvanda prædicata contradictoria, quæ formaliter verificantur, non eft fufficiens diftinctio, quæ non eft formalis: ergo. Refpondeo ad objectionem

nem concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem, quæ si vera esset, sequeretur, dari inter absoluta, & relativa distinctionem realem physicam; cùm physicè, & realiter verificentur illa prædicata contradictoria, & non tantúm formaliter. Quare sufficiens est distinctio virtualis maxima ad illa salvanda; cùm talis distinctio æquipolleat distinctioni reali physicæ, & faciat quòd munus unius non sit munus alterius.

454 Objicies octavò. Distinctio, quæ ponit contradictoria in Divinis non potest salvare contradictoria in Divinis; sed distinctio virtualis maxima ponit contradictoria in Divinis: ergo. Maior ex terminis liquet. Probas minorem. Ponere distinctionem virtualem maximam in Divinis ubi non ponitur, est ponere contradictoria in Divinis; sed admissâ distinctione virtuali maximâ in Divinis, ponitur talis distinctio ubi non ponitur: ergo. Maior patet. Probas minorem. Pater est ita distinctus realiter a Filio, & Spiritu Sancto, ut inter Patrem, & distinctum realiter à Filio, & Spiritu Sancto non ponatur distinctio virtualis; atqui admissâ distinctione virtuali maximâ in Divinis, poneretur talis distinctio inter Patrem, & distinctum realiter â Verbo, & Spiritu Sancto: ergo admissâ distinctione virtuali maximâ in Divinis poneretur talis distinctio ubi non ponitur.

455 Maior est certa. Probas minorem. Admissá distinctione virtuali maximâ in Divinis, poneretur ipsa distinctio inter illa prædicata de quibus verificantur contradictoria physica; sed de Patre, & distincto realiter à Filio, & Spiritu Sancto verificantur

cantur prædicata cōtradictoria physica: ergo admissâ distinctione virtuali maximâ in Divinis, poneretur talis distinctio inter Patrem, & distinctum realiter à Filio, & Spiritu Sancto. Maior est certa. Probas minorem. Verificantur hæc contradictoria, *Constitutivum essentiæ est realiter Pater, constitutivum essentiæ non est realiter distinctum a Filio, & Spiritu Sancto*: ergo.

456 Respondeo ad objectionem concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem nego suppositum antecedentis; scilicet, quòd illæ propositiones, *constitutivum essentiæ est realiter Pater, constitutivum essentiæ non est realiter distinctum â Filio, & Spiritu Sancto*, sint contradictoriæ; nam prima propositio procedit in sensu identico, & substantivo, quasi dicat, quòd constitutivum essentiæ habeat realem identitatem cum Patre, & ideo est vera; secunda verò procedit in sensu denominativo, & adjectivo, quasi dicat, quòd constitutivum essentiæ non denominetur realiter distinctum à Filio, & Spiritu Sancto, & ideo etiam est vera. Si autem propositio illa negativa sumatur in sensu affirmativæ, idest, in sensu identico, & substantivo, tunc erit falsa; quia falsum est, quòd constitutivum essentiæ non habeat realem identitatem cum distincto à Filio, & Spiritu Sancto. Igitur tales propositiones non sunt contradictoriæ, cùm non procedant in eodem sensu, sed in diverso, in quo ambæ sunt veræ

457 Instabis. Propositio illa negativa, sumpta in

in sensu identico, & substantivo est vera: ergo semper verificantur prædicata contradictoria Probas antecedens. Si non esset vera, verum esset, quòd constitutivum essentiæ sit realiter distinctum à Filio, & Spiritu Sancto substantivè; sed hoc non: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Si constitutivum essentiæ esset realiter distinctum à Filio, & Spiritu Sancto substantivè, non haberet identitatem realem cum Filio, & Spiritu Sancto; hoc non: ergo neque illud. Probas maiorem. In eo sensu, in quo unum est distinctum ab alio non habet identitatem cum illo: ergo si constitutivum essentiæ esset realiter distinctum à Filio, & Spiritu Sancto substantivè, non haberet identitatem realem cum Filio, & Spiritu Sancto. Probas antecedèns. In eo sensu, in quo unum est realiter distinctum ab alio, in tali sensu distinguitur ab illo; sed in sensu in quo distinguitur, non habet identitatem: ergo in eo sensu in quo unum est distinctum ab alio; non habet identitatem cum illo.

548 Respondeo ad instantiam negando antecedens; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem nego maiorem; ad cujus probationem distinguo antecedens: in eo sensu in quo unum est distinctum ab alio, non habet identitatem cum illo, in creatis, concedo antecedens: in Divinis, nego antecedens; ad cujus probationem distinguo maiorem eodem modo. In creatis verum est, quòd unum non habeat identitatem cum alio, in eo sensu in quo ab illo distinguitur, quia in creatis nihil est distinctum substantivè, quod non sit etiam adjectivè distinctum, propter sui limitationem; at in Divinis solùm id, quod est di-

stinctum

ſtinctum adjectivé ab alio, non habet identitatem cum illo; ſi tamen ſit diſtinctum ſubſtantivè ta - tùm, conſervat identitatem, quia eſſe diſtinctum ſubſtantivè eſt eſſe idem cum diſtincto, & in Divinis quod eſt idem cum diſtincto ab alio, conſervat cum illo identitatem, propter ſuam illimitationem; ſic natura Divina conſervat identitatem cum Filio, & Spiritu Sancto, licèt ſit idem cum diſtincto, nempe cnm Patre.

459 Unde illa propoſitio, *in eo ſenſu, in quo unum eſt realiter diſtinctum ab alio, diſtinguitur ab illo*, ſolùm eſt vera, ſi faciat ſenſum adjectivum, in quo etiam verum eſt, quòd careat identitate cum illo, à quo eſt diſtinctum; at ſi faciat ſenſum ſubſtantivum eſt falſa, & ideo abſolutè prolata non eſt vera in Divinis. Itaque in ſimilibus propoſitionibus obſervandus eſt ſenſus, an ſit ſubſtantivus, an adjectivus. At unde id dignoſcemus? Reſpondet Munieſſa, ex uſu PP. & Scholaſticorum, ad quorum placitum mnltæ voces ſignificant, faciuntque unum potiùs, quàm alium ſenſum. Hæc pro Scotiſtis. Modò pro AA. tertiæ ſententiæ. *Munieſſa.*

460 Objicies nonò cum Mag. Zagaglia. Contradictoria in Divinis non verificantur de eodem ſecundùm idem; ſed ad hæc ſalvanda opus non eſt uti diſtinctione virtnali: ergo. Probas maiorem. Contradictoria in Divinis verificantur de eodem realiter abſoluto, & realiter reſpectivo; ſed quæ verificantur de eodem realiter abſoluto, & realiter reſpectivo, non verificantur de eodem ſecundum idem: ergo. Probas minorem primi Syllogiſmi. Entitas Divina, cùm ſit pelagus omnium perfectionum habet ex ſe, quòd ſit realiter abſoluta, & reſpecti- *Zagaglia.*

va: ergo ad illa ſalvanda opus non eſt uti diſtinctione virtuali. Reſpondeo ad objectionem conceſſâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem conceſſo antecedente, nego conſequentiam; quia in tantùm entitas illa Divina habet, quòd ſit abſoluta, & reſpectiva, in quantùm dicit diſtinctionem virtualem abſoluti à relativo; nec enim aſſignabile eſt aliquid, à quo id proveniat, niſi â diſtinctione virtuali maximâ.

461 Inſtabis. Semel quòd illa prædicata non verificentur de eodem ſecundùm idem, non ſunt contradictoria phyſica: ergo opus non eſt uti diſtinctione virtuali ad illa ſalvanda. Reſpondeo ad inſtantiam conceſſo antecedente, negando conſequentiam; quia, quando dicimus diſtinctionem virtualem maximam ſalvare contradictoria in Divinis, non dicimus, quod ibi dentur contradictoria in rigore, hoc enim ſonaret maximam imperfectionem in Deo, ſed ſolum dicimus, quòd darentur in Deo talia contradictoria ſi ibi non eſſet diſtinctio virtualis.

de Caſtila.

462 Objicies decimò cum Mag. de Caſtilla. Quòd natura communicetur, & non Paternitas, ſalvatur ſolâ diſtinctione formali intentionali: ergo neceſſe non eſt admittere diſtinctionem virtualem maximam ad hæc ſalvanda. Probas antecedens. Talia contradictoria ſolùm ſunt contradictoria reſpectiva; ſed contradictoria reſpectiva ſalvantur ſolâ diſtinctione formali intentionali: ergo Probas maiorem. Quòd natura communicetur importat quid abſolutum, & quòd non communicetur Paternitas, importat quid relativum; ſed formalitates abſoluti, & reſpectivi petunt diſtinctis actibus cog-

noſci:

nosci : ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem nego maiorem; ad cujus probationem concessâ maiore, & minore, nego consequentiam; quia aliud est, quòd inter naturam, quæ communicatur, & Paternitatem, quæ non communicatur, detur distinctio formalis, sive respectiva, aliud verò, quòd talis distinctio sufficiat ad salvanda prædicata illa, quæ in sensu physico verificantur. Distinctio Bacconica solùm salvat contradictoria, quæ talia sunt per ordinem ad intellectum; alia verò contradictoria, de quibus loquitur, non per ordinem ad intellectum, sed in esse reali physico verificantur, ideoque solâ distinctione virtuali maximâ salvari possunt. Hæc pro tertia sententia. Pro ultima tandem.

463 Objicies undecimò. Si in Divinis daretur distinctio virtualis maxima, daretur etiam Scotica; hæc non datur : ergo neque illa. Probas maiorem. Scotus vult, quòd, unâ realitate, aliqua formalitas non sit formaliter alia à parte rei; sed ita verificaretur in Divinis, si ibi daretur distinctio virtualis : ergo. Maior est certa. Probas minorem. Si inter naturam, & Filiationem daretur distinctio virtualis maxima, talis distinctio non tantùm daretur virtualiter, sed etiam formaliter : ergo verificaretur in Divinis, quòd, unâ realitate, aliqua formalitas non esset formaliter alia a parte rei, quod vult Scotus. Probas antecedens. Si distinctio virtualis daretur inter illa prædicata tantùm virtualiter, non magis daretur ibi, quàm distinctio realis physica, quæ tantùm virtualiter ibi datur : ergo.

464 Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego

minorem; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Aliud enim est, quòd Filiatio formaliter non sit virtualiter natura, & aliud, quòd Filiatio non sit formaliter natura; sicut aliud est, quód Filiatio formaliter distinguatur virtualiter à natura, & aliud, quód Filiatio distinguatur formaliter à naturâ. Primum verum est, secundum verò est falsum. Verum est, quòd Filiatio formaliter non sit virtualiter natura, seu quòd formaliter distinguatur virtualiter à natura, quia ly *formaliter* non cadit supra *distinguatur* præcisè, sed supra *distinguatur virtualiter*; cùm non tam virtualiter detur ibi virtualis distinctio, sed etiam formaliter, imò & realiter actu à parte rei; realiter namque, & formaliter actu à parte rei datur ibi capacitas ad illa contradictoria, in qua consistit distinctio virtualis. Falsum tamen est, quód Filiatio formaliter distinguatur à naturâ, cùm tam realiter, quàm formaliter identificetur cum illa. Unde quemadmodum, data tantùm imagine Cæsaris, verum est dicere, quòd detur realiter imago Cæsaris, falsum verò, quód detur realiter Cæsar, quia primum *datur* appelat tantùm supra realitatem imaginis, secundum veró supra realitatem Cæsaris, ita dicendum in casu proposito.

465 Instabis. Si Filiatio formaliter à parte rei esset distincta virtualiter à naturâ, non esset formaliter indistincta virtualiter à naturà; sed est formaliter indistincta virtualiter à naturâ: ergo non est formaliter distincta virtualiter à natura. Maior patet. Probas minorem per hunc Syllogismum: *Natura est formaliter à parte rei indistincta virtualiter à naturâ; sed Filiatio formaliter à parte rei est*

est natura: ergo Filiatio formaliter à parte rei est indistincta virtualiter à naturâ. Maior est certa. Minor si negetur, admittitur sententia Scoti. Consequentia videtur innegabilis, concessis præmissis. Respondeo ad instantiam concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem per syllogismum, concessis præmissis, nego consequentiam, quæ non infertur propter vitiosum transitum præmissarum, quarum una, nempe prima, facit sensum adjectivum; altera veró facit sensum substantivum, & hoc ex propriis terminis, quos ut capias

466 Adverte, quòd illa propositio, quæ erat maior syllogismi, nempe, *Natura est formaliter à parte rei indistincta virtualiter à naturâ*, tribuit naturæ non solùm identitatem cum indistinctâ, sed etiam denominationem essendi indistinctæ virtualiter à naturâ; at altera propositio, quæ erat minor, nempe, *Filiatio formaliter à parte rei est natura*, licèt tribuat Filiationi identitatem cum natura, non tribuit denominationem essendi indistinctæ virtualiter à naturâ. Ea propter non sequitur illa consequentia, quæ ex propriis terminis facit sensum adjectivum tribuens Filiationi munus essendi indistinctæ virtualiter à naturâ. Unde solùm erit vera talis consequentia, si faciat sensum purè identicum, & substantivum, quasi dicat, quòd Filiatio formaliter à parte rei est idem cum indistincta virtualiter à natura, nempe cum ipsâ naturâ; at hoc non obstante, verum est, quòd Filiatio sit formaliter à parte rei distincta virtualiter à natura; quia non repugnat, quód sit distincta virtualiter à natura, & quòd simul sit idem cum indistincta virtualiter, sed solùm, quòd sit distincta virtualiter, & quòd denominetur indistincta. 467 Ob-

467 Objicies duodecimò. Admissâ distinctione virtuali maximâ in Divinis, eo ipso admittitur negatio identitatis formalis: ergo admissâ distinctione virtuali maximâ, admittitur formalis Scotica. Probas antecedens. Distinctio virtualis negat identitatem eo modo, quo datur; sed datur formaliter: ergo negat identitatem formalem. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: eo ipso admittitur negatio virtualis identitatis formalis, concedo antecedens: eo ipso admittitur negatio formalis identitatis formalis, nego antecedens; ad cujus probationem concessâ maiore, & minore, distinguo consequens modo dicto. Verum est, quòd distinctio virtuális neget identitatem formalem, & realem; cùm formaliter, & realiter detur in Deo talis virtus, tamen non negat formaliter identitatem formalem, aut realem, sed negat tantùm in virtute utramque identitatem, & ideo non recurrit cum distinctione Scotica nec cum distinctione reali physicâ. Ex dictis

468 Deduces, distinctionem virtualem maximam non evertere in Divinis illud principium per se notum: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*; quia tale principium loquitur de eodem tam realiter, quàm virtualiter; non verò de eodem realiter, distincto tamen virtualiter. Quare, licèt natura sit Filiatio, & Paternitas, quæ est idem cum natura, non sit Filiatio, semper salvatur veritas principii; quia licèt Paternitas sit realiter idem cum natura, distinguitur tamen virtualiter à naturâ. Unde solùm est impossibile, quòd idem sumptum secundum idem sit simul, & non sit; sic impossibile est, quòd Paternitas sit, & non sit prædicatum relati-

vum

vum, & quòd natura sit, & non sit prædicatum absolutum.

QUÆSTIO V.

Vtrùm Distinctio virtualis Maxima admittenda sit in Divinis inter Intellectum, & voluntatem, ad salvanda aliqua contradictoria physica, sive absoluta?

469 RESolutio est negativa, & deducta ex Doctore in 1. dist. 2. q 2. art 4. § 4. ℣. *Respondeo quod* ubi distinctionem tantùm intentionalem admittit inter istas Dei perfectiones essentiales. Doctorem citat, & sequitur Mag. Zaga- glia tom 2. disp. 1. sectione 1. §. 4. n. 33. ℣. *Ad confirmationem*. Defendunt resolutionem Mag. Lum- bier tom. 1. q. 3. de Voluntate. Ribadan. disp 4 & 5. de Volunt. Ramires. disput. 4. & 5. de Scientia Dei. Thyrsus tom. 2. disp. 1. & alii, quos citat, & sequitur mirabilis Thomas de Muniessa de Essentia, & Attributis disp. 8, sect. 1. n. 6. Sed antequam resolutionem probem

Bacconius. *Zagaglia.* *Lumbier.* *Ribaden.* *Ramires.* *Thyrs.* *Muniessa.*

470 Prænoto primò, quæstionem non procedere de intellectu, & Voluntate Dei liberâ, sed tantùm de intellectu, & voluntate necessariâ. Prænoto secundò, intellectum, & voluntatem necessariam Dei sumi posse essentialiter, vel notionaliter. Loquimur de intellectu, & voluntate essentialiter sumptis, in quo sensu tam intellectus, quàm voluntas habent rationem attributi. Notionaliter verò, habet intellectus respectum realem dictivi, voluntas autem respectum realem spirativi. Primus rel-

resp.ctus fundatur ab intellectu ut in Patre; secundus á voluntate ut in Patre, & Filio. Quare, intellectus, & voluntas ut attributa sunt, ipsis correspondent intelligere, & velle, quatenus sunt merè operationes, non ut sunt productiones, & sic distinguuntur distinctione tantùm formali intentionali, sicut alia attributa. Si verò intellectus, & voluntas sumantur ut principia notionalia, ipsis correspondent intelligere, & velle, ut sunt productiones, quo pacto distinguuntur necdum formaliter, sed & realiter propter notiones, quas includunt; nam intellectus ita sumptus includit Paternitatem; voluntas Paternitatem, & Filiationem.

Bacconius.

471 Hæc docet Bacconius ibi supra: *Intelectus, & voluntas, ut sunt attributa, & ut sunt principia emanationum in Divinis non sunt eadem, sicut multi imaginantur, sed intellectus, & voluntas ut sunt attributa sunt intellectus essentialis, & voluntas essentialis, quibus correspondent intelligere & velle, ut sunt operationes, non productiones; intellectus autem & voluntas, quæ sunt principia emanationum in Divinis sunt intellectus, & voluntas notionalis, ut puta intellectus, ut est dictivus Verbi, & voluntas ut spirativa Spiritus Sancti. & ideo, quia sunt principia emanationum, non sufficit quòd sint relativa secundùm rationem, sed intellectus, & voluntas essentialis non sunt principia aliquarum emanationum: quia si sic, cùm sint in personis omnibus, quælibet persona produceret Verbum, & Spiritum Sanctum: solùm igitur dicuntur distingui in Deo; quia distinctè ibi repræsentantur in distincto esse intelligibili, & ideo solùm dicunt respectus rationis.* His prænotatis

472 Pro-

472 Probo resolutionem sic. De intellectu, & voluntate Dei necessariâ nulla verificantur contradictoria physica, sive absoluta: ergo non est admittenda distinctio virtualis maxima ad illa salvanda. Probo antecedens. Si aliqua verificarentur contradictoria de intellectu, & voluntate Dei necessariâ, essent hæc: *Deus intelligit malum, Deus non vult malum*; vel hæc: *Verbum Divinum procedit per intellectum, Verbum Divinum non procedit per voluntatem*; sed prima non sunt contradictoria physica, & secunda non verificantur de intellectu, & voluntate ut sunt attributa: ergo de intellectu, & voluntate Dei necessariâ nulla verificantur contradictoria physica, sive absoluta. Maior est fundamentum partis adversæ. Minor constabit ex solutione objectionum. Cousequentia est ligitima.

Proponuntur Objectiones, & dissolvuntur.

473 NOstræ resolutioni opponuntur Aldrete disp 61. de Incarnat. sectione 4. n. 13. Borrul disp. 1. de voluntate sect. 4. Herice disp. 12. de voluntate. Isquierdo disp. 31. de Deo Zuunig. de Trinitate disp. 3. dubio 6. n. 5. & alii, quos citat, & sequitur Joannes Marin tom. 1, tractatu 7. disp. 2. n. 4. pro quibus objicies primò. Si intellectus Divinus per impossibile existeret separatus à Divina voluntate, posset de illo verificari aliquid in sensu physico, quod non verificaretur de voluntate, & hoc salvaretur per distinctionem realem: ergo etiam de facto id verificari potest per distinctionem virtualem. Antecedens liquet. Probas consequentiam. Quando aliquibus separatis aliquit convenit *Aldrete. Borrul. Herice. Isquierdo. Zunning. Marin.*

venit

venit uni, quod non convenit alteri, hoc provenit à propria ratione uniuscujusque, quæ semper est eadem, sive sint separata sive non: ergo si in illo casu posset aliquid physicè verificari de intellectu, quod non verificaretur de voluntate per distinctionem realem, de facto id verificari potest per distinctionem virtualem. Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem distinguo antecedens: quando aliquibus separatis aliquid convenit uni, secundùm esse intelligibile, quod non convenit alteri &c. concedo antecedens: secundùm esse physicum, nego antecedens. Nego quòd secundùm esse physicum conveniat uni ab altero indistincto, vel inseparato, id, quod ipsi conveniret si distinctum, vel separatum esset; quapropter intellectui de facto indistincto, & inseparato à Divina voluntate non convenit id, quod ipsi conveniret si separatus foret à voluntate.

474 Objicies secundò. Deus intelligit malum, & non vult malum; sed hoc salvari non potest sine distinctione virtuali maxima inter intellectum, & voluntatem: ergo. Respondeo ad objectionem concessâ maiore, negando minorem, & consequentiam; quia ex eo, quòd Deus intelligat malum, & non velit malum, solùm arguitur distinctio formalis intentionalis inter intellectum, & voluntatem; siquidem Deus per intellectum intelligit, & per voluntatem vult, tanquam per rationes formales distinctas in esse repræsentabili, quâ de causâ non requiritur distinctio virtualis maxima, nec formalis Scotica, inter illa attributa; nam ista solúm argueretur, si in sensu formali aliquid affirmaretur

de intellectu, non de voluntate; illa verò, si id ipsum verificaretur in sensu reali physico, quod tamen falsum est.

475 Instabis. Ergo in sensu physico convenit voluntati Divinæ velle malum. Probas illationem. In sensu physico verum est, quòd quando intellectus Divinus terminatur ad malum, terminetur etiam voluntas; sed voluntas terminata ad malum vellet malum: ergo. Probas maiorem. Quando aliqua sunt idem physicè, quidquid convenit uni physicè convenit alteri, nisi inter illa intercedat virtualis distinctio; sed intellectus Divinus, & Divina voluntas sunt physicè idem absque distinctione virtuali: ergo iu sensu physico verum est, quòd quandò intellectus Divinus terminatur ad malum, terminetur etiam voluntas: Probas etiam minorem primi syllogismi. Intellectus Divinus terminatus ad malum intelligit malum: ergo voluntas Divina terminata ad malum vellet malum.

476 Respondeo ad objectionem negando illationem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Diversa ratio est, quia velle malum non est actus positivus in Deo dicens aliquam perfectionem, sicut intelligere malum. Audiatur Resolutus ubi sup. §. 5. Ṽ. *Respondeo ad maiorem: Intellectus, & voluntas; velle, & intelligere sunt idem formaliter secundùm quod dicunt perfectionem absolutam, & ideo cum hac determinatione verum est, quòd hæc omnia sunt idem: sed quandò accipitur ulterius: intellectui convenit intelligere malum: ergo voluntati velle malum, verum est si velle malum esset actus positivus in* Baccon*ius.*

Deo

Deo dicens aliquam perfectionem, sicut intelligere, quod falsum est.

477 Unde voluntati Divinæ in nullo sensu potest competere velle malum; quia ex identitate physicâ, & virtuali intellectûs cum voluntate, solùm sequitur, quòd nihil verificetur physicè de intellectu, quod de voluntate non verificetur secundùm actus in Deo repertos, & ideo, loquendo in sensu physico, vel formali absoluto, sicut Deus intelligit malum per intellectum, ita intelligit malum per voluntatem; & sicut amat bonum per voluntatem, ita per intellectum, eo modo, quo per idem principium punit, & miseretur. Velle autem malum, & malum ipsum non sunt perfectiones in Deo, sed potius quid chimæricum, & fictitium; si tamen importarent aliquam perfectionem in Deo, ex identitate voluntatis cum intellectu bene argueretur, quod Deus vellet malum, quando malum intelligeret. Itaque de intellectu, & voluntate Divinâ nullo pacto verificantur contradictoria in sensu physico, vel formali absoluto, sed tantùm in sensu respectivo, ideoque ad illa salvanda admittimus tantummodò distinctionem formalem intentionalem, non formalem Scoticam, nec virtualem maximam.

478 Objicies tertiò. In Divinis necessariò admitti debet distinctio virtualis maxima inter intellectionem, & volitionem necessariam: ergo etiam inter intellectum, & voluntatem. Probas antecedens. In Divinis verificantur hæc contradictoria: *Cognitio præcedit volitionem, volitio non præcedit volitionem*: ergo ad illa salvanda necessariò admitti debet distinctio virtualis maxima inter intelle-

ctionem

ctionem, volitionem necessariam. Probas antecedens ex D. Anselmo in Monolog. cap. 48. *Palam certè est, rationem habenti Deum non id circo se intelligere, quia se amat, sed ideo se amare, quia se intelligit*: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem distinguo antecedens: verificantur hæc contradictoria, &c. in sensu reali intentionali, concedo antecedens: in sensu reali physico, nego antecedens; ad cujus probationem dico, quòd sicut authoritas Anselmi non probat distinctionem realem physicam inter intellectionem, & volitionem, ita neque distinctionem virtualem maximam, sed tantùm intentionalem, quam etiam admittimus. D. Anselm.

479 Instabis D. Anselmus probat, quòd Deus re vera, & non solùm ex nostro modo concipiendi, ideo se amat, quia se cognoscit, & non é contra; sed hoc posito, debet cognitio re vera præcedere amorem necessarium virtualiter: ergo. Probas maiorem D. Anselmus probat Spiritum Sanctum procedere à Filio; sed Spiritus Sanctus re vera, & non tantū per rationem procedit à Filio: ergo. Probas etiam minorem. Hoc posito, sequitur, quòd à parte rei cognitio sit motrix, & non mota, amor verò sit motus, & non motrix; sed hæc salvari non possunt sine præcedentia virtuali: ergo. Confirmatur illo vulgari axiomate: *Nihil volitum quin præcognitum.*

480 Magister Lumbier sup. citatus respondet n. 125. illam causalem: *Ideo Deus amat, qua intelligit* probare solùm ex parte intellectionis prioritatem logicam, & quòd hæc sufficiat tantummodò ad generationem Verbi. Non enim, inquit, Pater, & Lumbier.

R Filius,

Filius, nec ipsorum relationes habent se ut principium physicum virtualiter producens, & recipiens spirationem activam. sed ad suum num se habent ut prærequisitum logicè. Ad axioma, *nihil volitum quin præcognitum* respondet seq. n. posse intelligi ly *præ* de prioritate logicâ, de physicâ autem solùm in volente creato. Et n. 122. docet, actum attingere unum propter alium absque distinctione virtuali, stare in quoddam modo tendendi specialissimo, & simplici talium actuum ad objectum tangendo unum impræciudibiliter ab alio; quia sæpe in se non haberet objectum rationem ut attingatur, nisi propter informationem, seu quasi informationem ab alio; sic assentimur Trinitati propter revelationem, cum in suo esse non habeat essentialem rationem ut credatur, nisi vestiatur revelatione. Sic etiam loquitur Muniessa, & n. 12. rem explicat in actu nostro indivisibili, qui simul amat medium, & finem, v. g. deambulationem propter sanitatem, & non è contra, quin proinde detur prioritas virtualis, in formalitatibus dicti actûs. Hæc ingeniosa sunt, sed non videntur vera, inquit Joannes Marin in. 9. Affert ipse varias instantias, quæ nihil curæ nobis sunt, quia non sistimus in distinctione puré rationis. Quare ex principiis Bacconii tutiùs

Muniessa.

Marin.

481 Respondeo ad instantiam concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem intellectam de distinctione virtuali maximâ, in quo sensu procedit instantia; quia ad hoc ut objectum ut tactum per intellectionem moveat ad se ipsum attingendum per volitionem sufficit, quòd intellectio, & volitio distinguantur formaliter in esse objicibili, & non est necesse

uti

uti distinctione virtuali maximâ; nec enim contradictio illa est physica, & absoluta, sed tantùm intentionalis, & cum addito. Præterea in quantum D. Anselmus ex præcedentia intellectionis probat Spiritum Sanctum procedere à Filio, loquitur de intellectione, & intellectu notionali, non essentiali, juxta supra dicta n. 471. Ad confirmationem dico, axioma illud in Divinis salvari solâ præcedentiâ formali intentionali cognitionis ad volitionem.

482 Objicies quartò. Juxta Sanctos PP. Verbum Divinum procedit realiter per intellectum, non per voluntatem: ergo de intellectu, & voluntate Dei necessariâ verificantur contradictoria physica, sive absoluta, ad quæ salvanda debet necessariò admitti distinctio virtualis maxima. Respondet Antonius Peres disp. 3. de Trinitate cap. 9. illam loquutionem, *Verbum Divinum non procedit per voluntatem* esse veram, intelligendo Filium non esse genitum ad liberum Patris arbitrium; quia sensus Sanctorum PP. planus erat adversus Arrium dicentem Patrem liberé producere Filium, sicut producit creaturas. Hunc modum dicendi servat etiam Thomas de Muniessa citatus, & addit, quòd, intelligendo id de voluntate necessariâ, non sit vera illa loquutio in sensu reali, sed solùm in sensu formali, ex quo non arguitur distinctio virtualis maxima, sed tantummodò distinctio rationis inter intellectum Dei, & voluntatem necessariam. Quemadmodum ex eo, quòd (in oppinione identificante realiter potentias inter se, & cum anima) verificetur nos non cognoscere voluntate, sed intellectu, non arguitur distinctio virtualis maxima inter istas potentias, nec inter Misericordiam, & Justitiam Divinam

Perez.

Muniessa.

nam; licèt admittatur, quód Deus Justitiâ punit, & non Misericordiâ; sicut nec infertur, quód virtus calefactiva, & illuminativa in sole distinguantur plusquam ratione, licèt calor procedat â sole ut calefactivo, non ut illuminativo. Utraque responsio est ingeniosè excogitata; vera tamen, & expedita solutio constat ex sup. prænotatis n. 470. & 471. ex quibus

483 Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: juxta Sanctos PP. Verbum Divinum procedit realiter per intellectum, non per voluntatem notionalem, concedo antecedens: per intellectum essentialem, non per voluntatem essentialem, nego suppositum, quód intellectus essentialis, & voluntas essentialis sint principia aliquarum emanationum; aliàs, cùm sic sint in omnibus Personis, quælibet produceret Verbum, & Spiritum Sanctum: solùm ergo ut essentiales sunt, ipsis correspondent intelligere, & velle, quatenus sunt merè operationes, & sic distinguuntur tantùm in distincto esse intelligibili; si verò sumantur ut notionales, ipsis correspondent intelligere, & velle, ut productiones sunt, sed hoc pacto distinguuntur nec dum formaliter in esse intelligibili, sed & realiter propter notiones, quas dicunt. Unde nullo modo virtualiter distinguuntur. Ex his

484 Deduces, processionem Verbi esse generationem, non processionem Spiritùs Sancti; quia Verbum procedit per intellectum notionalem Patris, & Spiritus Sanctus procedit per voluntatem concordem Patris, & Filii. Ea propter potentia generativa est potentia intellectiva in Patre; potentia verò spirativa est potentia volitiva in Patre,

&Fi-

& Filio. Unde ad generationem Divinam habet Pater habitudinem per intellectum, tanquam per formale principium respectu actûs notionalis, & sic intellectus accipitur relativè, ut docet Bacconius in 1. dist. 5. q. 1. artic. 4 §. 4. ℣. *sic ergo* ad illa verba: *Igitur ad generationem Divinam habet habitudinem Pater per intellectum ipsum, tanquam per formale principium: sed intellectus ut est formale principium respectu actus notionalis &c. accipitur relativè.* Hæc pro distinctione virtuali maximâ. Sit modò *Bacconius.*

QUÆSTIO VI.

Vtrùm in creatis detur Distinctio virtualis Minima?

485 Resolutio est affirmativa, & deducta ex Doctore in 3. dist. 10. q. 1. árt. 7. ℣. *Ad argumentum.* Cui subscribit Mag. Garcia in Megal. dist. 2. q. 1. articulo 4. §. 3. & debet esse certa apud omnes Bacconistas. Ad intelligentiam resolutionis prænoto, distinctionem virtualem minimam in sensu Bacconii esse fundamentum distinctionis formalis intentionalis, quod quidem est de lineâ physicâ, ex quo resultant diversæ cognoscibilitates in lineâ intentionali. Hoc prænoto *Bacconius.* *Garcia.*

486 Probo resolutionem sic. In creatis datur simplex entitas fundans negationem identitatis intentionalis; sed in hoc consistit distinctio virtualis minima: ergo in creatis datur distinctio virtualis minima. Probas maiorem. Si in creatis non daretur entitas simplex fundans negationem identitatis

 nulla

nulla formalitas diceret negationem identitatis intentionalis cum alia; sed hoc est falsum: ergo illud. Maior est certa. Probas minorem. Si nulla formalitas diceret negationem identitatis intentionalis cum alia, animal v. g. non distingueretur in esse objicibili à rationali; sed distinguitur: ergo. Maior liquet; quia omnis distinctio, eo modo quo est distinctio, negat identitatem ex dictis disp. 1. sectione 1. q. 1. Minor constat etiam ex dictis disp. 3, sectione 2. q. 1.

Proponuntur Objectiones, & dissolvuntur.

487 NOstræ resolutioni opponuntur Nominales omnes, quatenus volunt totam distinctionem esse ex parte intellectûs sine ullo fundamento in re ex parte objecti; verùm istorum fundamenta solvuntur infra sectione 2. q. unica. Pro nunc ergo solùm propono, & solvo dubia aliquorum, qui fortasè judicabunt distinctionem virtualem minimam à nobis explicatam esse superfluam, supposita distinctione formali intentionali, quam etiam admittimus. Pro istis scrupulosis objicies primò. Distinctio virtualis minima est superflua, suppositâ distinctione formali intentionali: ergo. Probas antecedens. Distinctio virtualis minima in tantúm admitteretur in creatis, in quantum animal v. g. posset fundare negationem identitatis intentionalis cum rationali; sed hoc fit per distinctionem formalem intentionalem: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem concessâ maiore, nego minorem; quia distinctio formalis intentionalis non fundat negationem

tionem identitatis intentionalis animalis cum rationali, sed est formaliter ipsa negatio, quæ solùm fundatur à distinctione virtuali minimâ, quæ nihil aliud est quàm entitas illa hominis physica.

488 Objicies secundò. Vel distinctio formalis intentionalis Bacconica est distincta à distinctione virtuali minima, vel non? Si primum: ergo optimé dari potest illa absque istà. Si secundum: ergo data distinctione formali intentionali, nugatorium erit inquirere, an detur virtualis minima. Respondeo ad objectionem, & dico, distinctionem formalem intentionalem esse distinctam à distinctione virtuali minimâ, tanquam à suo fundamento: quemadmodum ergo esse intentionale rerum existentium dari nequit sine esse physico, licét distinguatur ab illo; ita dari non potest distinctio formalis intentionalis sine distinctione virtuali minimâ non obstante distinctione unius ab alia.

489 Objicies tertiò. Si in Divinis daretur distinctio realis physica inter essentiam, & relationes superflua esset distinctio virtualis maxima: ergo semel quòd in creatis detur distinctio formalis intentionalis inter animal, & rationale, superflua est distinctio virtualis minima. Antecedens liquet ex eo, quòd non sint multiplicandæ distinctiones absque necessitate. Probas consequentiam. Sicut distinctio virtualis maxima est distinctio realis physica in virtute, ita distinctio virtualis minima est in virtute distinctio formalis intentionalis: ergo si admissâ distinctione reali physicâ inter essentiam, & relationes esset superflua distinctso virtualis maxima, ita admissâ distinctione formali intentionali inter animal, & rationale erit superflua distinctio virtualis minima.

 490 Res-

400 Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem nego maiorem; quia distinctio virtualis minima non est virtus distinctionis formalis intentionalis, sed (nota hoc) solùm est virtus ad distinctionem formalem intentionalem, seu fundamentum ad illam. Quare datur longa disparitas; quia, cùm distinctio virtualis maxima sit virtus, seu equipollentia distinctionis realis physicæ, data distinctione reali physicâ, licèt per impossibile, inter essentiam, & relationes, superflua esset distinctio virtualis maxima, quæ solùm admittitur in Deo ubi mysteria cogunt admittere ad salvanda contradictoria physica, quæ omnino excluderentur, suppositâ distinctione physicâ reali. Distinctio verò virtualis minima non æquipollet distinctioni reali intentionali, sed solùm est fundamentum talis distinctionis, & ideo non est superflua, illâ admissâ. Ex quibus

491 Deduces contra aliquos Bacconistas hallucinatos, distinctionem virtualem minimam, quam admittit Bacconius, non posse habere virtutem distinctionis formalis intentionalis, quam si haberet, superflua esset distinctio formalis intentionalis, vel distinctio ista virtualis, suppositâ intentionali, ut probat objectio paritate difficilimâ distinctionis virtualis maximæ, ad quam tenentur ipsi respondere. Assignent ergo in quo consistat ista æquipollentia, vel ista virtus, quam certè non assignabunt, & ideo hallucinantur. Quare distinctio virtualis minima solùm dici potest virtus distinctionis intentionalis, dummodo ly *virtus* sit idem ac fundamentum talis distinctionis, quatenus habet virtu-

virtutem fundandi, & radicandi formalitates distinctas in esse objicibili, & repræsentabili.

QUÆSTIO VII.

Vtrùm in Divinis detur Distinctio virtualis Minima?

492 RESolutio est affirmativa, & deducta ex Doctore in 1. dist. 2. q 2; art. 3. §. 1. Et licèt hanc resolutionem à nullo Bacconistà expressè affirmatam videam, puto tamen à nemine illorum negari posse, qui distinctionem formalem intentionalem admittunt in Divinis, non solùm inter essentiam, & attributa, sed inter essentiam, & relationes. Antequam resolutionem probem prænoto, distinctionem virtualem maximam non esse fundamentum distinctionis formalis intentionalis, licèt illam admittamus inter essentiam, & relationes, ubi etiam ponimus istam. Fundamentum igitur distinctionis formalis intentionalis est sola distinctio virtualis minima, quæ necessariò debet intercedere inter illa, quæ formaliter intentionaliter distinguuntur. Hoc prænotato *Bacconius.*

493 Probo resolutionem sic. In Divinis datur distinctio formalis intentionalis non tantùm inter essentiam, & attributa, sed etiam inter essentiam, & relationes; sed ubi datur distinctio formalis intentionalis, datur distinctio virtualis minima: ergo in Divinis datur distinctio virtualis minima. Maior constat ex dictis disp. 3. sectione 2. q. 2. & 3. Probo minorem. Distinctio virtualis minima est fundamentum distinctionis formalis intentionalis; ergo,

ergo, ubi datur distinctio formalis intentionalis, ibi datur distinctio virtualis minima. Confirmo resolutionem ex dictis quæst. præcedenti n. 486.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

Alarcon. *Hemelman.* *Uvadingus.* *Quiros.*

494 NOstræ resolutioni opponuntur Alarcon tract. 5. disp. 2. cap. 7. Hemelman vol. 1 tit. 3. disp. 1. cap. 27. Wadingus disp. 7. de Incarn dub. 4. Quiros disp. 14. & 15. & alii gravissimi Theologi negantes universaliter inter qualcumque Dei perfectiones realiter identificatas aliqualem aliam distinctionem, præter distinctionem purè. Verùm istorum objectiones solutæ manent disp. 3. sectione 2. q. 2. &c Opponuntur etiam aliqui ex nostris Bacconistis, quatenus docent fundamentum distinctionis formalis intentionalis, saltem inter essentiam, & relationes, esse distinctionem virtualem maximam, quam cum M. Garcia sic definiunt: *Simplex entitas physica fundans plures formalitates intentionales cum capacitate ad verificanda prædicata contradictoria absoluta, & rigorosa.* Pro istis

Garcia.

495 Objicies primò. Si in Divinis daretur distinctio virtualis minima, maximè, quia esset fundamentum distinctionis formalis intentionalis; sed hoc non: ergo. Maior constat ex supra dictis. Probas minorem. Fundamentum distinctionis formalis intentionalis, saltem inter essentiam, & relationes est distinctio virtualis maxima; ergo non est distinctio virtualis minima. Probas antecedens. Fundamentum distinctionis formalis intentionalis est id, quod in lineâ physicâ fundat diversas cognoscibilitates,

bilitates; sed hoc facit distinctio virtualis maxima inter essentiam, & relationes: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Distinctio virtualis maxima definitur: *Simplex entitas physica fundans plures formalitates intentionales cum capacitate ad verificanda prædicata contradictoria absoluta, & rigorosa*: ergo. Respondeo ad objectionem concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem nego antecedens; ad cujus probationem concessà maiore, nego minorem; ad cujus probationem nego antecedens; quia diversæ cognoscibilitates solùm fundantur á distinctione virtuali minimâ, non â distinctione virtuali maximâ, quæ solùm debet definiri per æquipollentiam distinctionis realis physicæ in ordine ad salvanda contradictoria physica, & rigorosa. Quemadmodum ergo distinctio realis physica non definitur per ordinem ad diversas cognoscibilitates, ita neque distinctio virtualis maxima, quæ solùm debet definiri per æquipollentiam ad ipsam distinctionem realem physicam.

496 Instabis. Distinctio virtualis maxima debet participare rationem communem distinctionis virtualis; sed ista definitur: *Simplex entitas physica fundans plures formalitates intentionales*: ergo. Respondeo ad instantiam concessâ maiore, negando minorem; quia talis definitio potius competit distinctioni virtuali minimæ, quâm distinctioni virtuali in communi, quæ solùm definiri debet per virtutem distinctionis realîs. Igitur fundare plures formalitates intentionales nec est definitio distinctionis virtualis in communi, nec competit distinctioni virtuali maximæ, sed solùm distinctioni virtuali minimæ, quæ est diversa capacitas, quæ in

Deo

Deo reperitur inter quascumque perfectiones realiter identificatas.

497 Objicies secundò. In Divinis non datur duplex distinctio virtualis; sed tu admittis maximam, saltem inter essentiam, & relationes: ergo debes excludere minimam. Probas maiorem. In creatis non reperitur duplex distinctio virtualis: ergo neque in Divinis. Antecedens constat ex dictis sup. q. 2. & 3. Probas consequentiam. Deus est summa simplicitas, & summa unitas; creatura neque est summa simplicitas, neque summa unitas; ergo si in creatis non datur duplex distinctio virtualis, id à fortiori erit verum in Divinis. Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Nam licèt Deus sit summa unitas, & summa simplicitas, nec cum summa simplicitate, nec cum summa unitate pugnat, aut repugnat distinctio virtualis, quæcumque illa sit, quia non est distinctio realis physica rigorosa. Admittitur ergo distinctio virtualis maxima in Divinis, ad salvanda prædicata illa, quæ aliunde essent contradictoria, & ad hoc cogimur Fide; distinctio autem virtualis minima admittitur etiam, quia in illa entitate simplici datur capacitas ad diversas cognoscibilitates in ordine ad intellectum creatum; hæc veró licet reperiatur in creatis, non proinde reperitur alia; quia nulla entitas creata, utpote limitata, est capax fundandi contradictoria physica, & rigorosa ut dictum non semel est supra q. 2.

498 Objicies tertiò. Distinctio virtualis minima definitur; *Simplex entitas physica fundans plu-*

res

res formalitates intentionales cum capacitate ad contradictoria formalisalia sive diminuta; sed hoc implicat: ergo. Maior est doctrina à Bacconistis communiter recepta. Probas minorem. Implicat contradictio diminuta, & formalisalis: ergo. Probas antecedens. Contradictio ut detur, debet affirmari idem de eodem secundùm idem, & in eodem sensu; sed hoc non reperitur in contradictione diminuta, & formalisali: ergo. Maior est doctrina omnium summulistarum. Probas minorem. In contradictione diminuta, & formalisali v. g. in ista, *animal cognoscitur, rationale non cognoscitur*, non affirmatur, & negatur idem de eodem; cùm in linea formalisali animal sit distinctum à rationali: ergo.

499 Aliqui Bacconistæ sæpe hallucinati impugnant hoc fundamento definitionem distinctionis virtualis minimæ traditæ à Mag. Garcia, dicuntque, prædictam definitionem esse contra præcepta, & regulas summulistarum. Verùm ex hoc capite malè impugnatur illa definitio; siquidem quandó Mag. Garcia distinctionem virtualem minimam definit: *Simplex entitas physica fundans plures formalitates intentionales cum capacitate ad contradictoria formalisalia, sive diminuta*, sensus non est, quòd detur ibi contradictio diminuta, & formalisalis, sed quòd daretur nisi intercederet distinctio formalis intentionalis; quia tunc *cognosci, & non cognosci* verificarentur de eodem secundùm idem, & in eodem sensu. Unde quemadmodum contradictoria absoluta in Divinis non verificantur de eodem secundum idem, sed solùm ita verificarentur si ibi non esset distinctio virtualis; ita contradictoria *Garcia.*

tradictoria formalisfalia verificarentur si ibi non esset distinctio formalis intentionalis. Et si, hoc non obstante, non impugnant definitionem distinctionis virtualis maximæ explicatam per capacitatem ad contradictoria absoluta, hallucinantur dum ire intendunt contra definitionem distinctionis virtualis minimæ, ex eo quòd definiatur per capacitatem ad contradictoria formalisfalia.

500 Aliâ viâ impugno ego illam definitionem distinctionis virtualis minimæ, supposita definitione distinctionis virtualis in communi à nostris communiter recepta. Distinctio virtualis minima, per vos, est membrum distinctionis virtualis in communi; sed hoc posito malè definitur. *Simplex entitas physica fundans plures formalitates intentionales cum capacitate ad contradictoria formalisfalia sive diminuta*: ergo. Probo minorem. Membrum alicujus divisionis debet addere aliquid supra rationem communem divisam; sed distinctio virtualis minima hoc modo definita, nihil addit supra rationem communem divisam: ergo. Respondent addere capacitatem ad contradictoria formalisfalia, sive diminuta, quam non dicit distinctio virtualis in communi, quæ solùm definitur: *Simpex entitas physica fundans plures formalitates intentionales.* Sed contra. Implicat simplex entitas physica fundans plures formalitates intentionales, sine capacitate ad contradictoria formalisfalia: ergo. Probo antecedens. Implicat simplex entitas physica fundans plures formalitates intentionales, sine capacitate ad hoc, ut una cognoscatur, non cognitâ aliâ; sed capacitas ad hoc, ut una formalitas cognoscatur, non cognitâ aliâ, est capacitas ad contradictoria forma-

formalitalia: ergo. Maior, & minor, sunt mihi ex terminis notæ, præcipuè in sententia Bacconii. Consequentia est ligitima. Hinc in forma

501 Respondeo ad obiectionem propositam n. 498. negando maiorem, propter rationem n. præcedentis. Unde definitio distinctionis virtualis minimæ solùm potest explicari per negationem virtualem identitatis intentionalis, dummodò hîc negatio virtualis sit idem ac negatio fundamentalis, seu entitas simplex negans fundamentaliter identitatem intentionalem, quæ formaliter negatur per distinctionem formalem intentionalem. Si recusent Adversarii, distinctionem virtualem minimam sic explicatam recurrere cum definitione sup. rejectâ, facilè in hoc conveniam, dummodò distinctio virtualis in communi non definiatur: *Simplex entitas physica fundans plures formalitates intentionales*; non enim aliter definitionem distinctionis virtualis minimæ sup. traditam rejicio, nisi in quantùm suppono illam definitionem distinctionis virtualis in communi. Ex dictis

502 Deduces, distinctionem virtualem in communi definiri hôc modô: *Virtualis negatio identitatis realis.* quæ quidem ratio communis participatur ab utraque distinctione virtuali, maximâ scilicet, & minimâ, licet non æqualiter; non enim, divisio distinctionis virtualis in maximam, & minimam est univoca; cùm gradus divisus intrinsecè, & essentialiter non includatur in utroque membro dividente, sed solùm in distinctione virtuali maximâ, quæ est virtus, idest, æquipollentia distinctionis realis physicæ, non sic distinctio virtualis minima, quæ est virtus, idest, fundamentum distinctio-

nis

nis realis intentionalis. Cohærenter ergo ad distinctionem virtualem in communi sic definiri debet distinctio virtualis maxima: *Virtualis negatio identitatis realis physicæ.* Distinctio tandem virtualis minima sic: *Virtualis negatio identitatis realis intentionalis.* Ex satis de difficili distinctione virtuali, tam maximâ, quàm minimâ.



SECTIO II.

De Distinctione Rationis.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Distinctio Rationis sit etiam ex parte objecti?

503 RESolutio est affirmativa, & deducta ex Doctore in 1. dist. 2. q. 2. art. 3. §. 1. In hac conveniunt omnes Bacconistæ, Thomistæ, Scotistæ, & Ægidiani, licèt in modo explicandi differant. Antequam resolutionem probem, prænoto primò, distinctionem rationis aliam dici rationis ratiocinantis, aliam rationis ratiocinatæ. Distinctio rationis ratiocinatæ, de qua in præsenti, dicitur *rationis*, quia per rationem excogitatur, & *ratiocinatæ*, quatenus fit ex occasione, quam res ipsa præbet, scilicet, quando res aliqua virtualiter multiplex in re excogitatur pluribus conceptibus inadæquatis; hac autem distinctione rem inadæquatè consideramus secundùm ea, quæ realiter il-

Bacconius.

li

li conveniunt; & per hoc differt à distinctione rationis ratiocinantis, in qua aliquid fingitur in extremis, quod ipsis realiter non convenit. Resolvimus ergo, distinctionem rationis ratiocinatæ habere fundamentum intrinsecum, quod reperitur ubi sunt in objecto plures formalitates, quarum una præcindit ab alterâ. Hinc

504 Prænoto secundò, præcisionem alteram esse formalem, objectivam alteram. Præcisio formalis tenet se ex parte intellectus, & tunc datur, quando idem intellectus attingit unum non attingendo aliud, seu quandò, adhuc in eodem objecto, attingit unam rationem, non attingendo idem secundum aliam. Præcisio objectiva tenet se ex parte objecti, & tunc datur, quandò objectum ita se intellectui objicitur secundùm unam rationem, & non secundúm aliam. Unde non solùm falluntur, qui putant, præcisionem objectivam inter formalitates esse solam denominationem extrinsecam, sed etiam qui opinantur præcisionem objectivam includere necessariò actum intellectús præcindentem; potest enim præcisio esse ex parte rei antecedenter ad actum intellectûs, ut bene, & non sine gravi fundamento advertit Mag. Lumbier. tom. I. q. 3. de voluntate art. 3. n. 71. his verbis: *Hoc quod est præcindere non solùm esse per intellectum, sed etiam posse esse à parte rei antecedenter ad nostros conceptus.* Igitur præcisio objectiva, quam admittimus non differt à nostra distinctione, & ideo, hâc suppositâ, careret loco præsens quæstio, nisi excitaretur, tum ut titulo sectionis satis factum iri putemus, tum ut alias objectiones sub his terminis solvamus. His prænotatis *Lumbier.*

505 Probo resolutionem, & primò ex eo, quia datur præcisio objectiva inter formalitates ejusdem entitatis; sed hæc est fundamentum intrinsecum distinctionis rationis ratiocinatæ: ergo. Probo maiorem. Præcisio unius formalitatis ab alia datur eo modo, quo una existit non existente alia; sed formalitas animalis v. g. existit in esse cognoscibili, non existente in esse cognoscibili rationali: ergo. Maior est certa. Probo minorem. Si animal non existeret in esse cognoscibili, non existente in esse cognoscibili rationali, non posset cognosci animal, quin cognosceretur rationale; sed potest: ergo. maior liquet. Probo minorem. quælibet res potest cognosci, quin cognoscatur id, quod est extra suam essentiam; sed formalitas animalis est extra essentiam rationalis: ergo. Maior est certa. Minor patet ex diversa definitione utriusque in esse objicibili.

506 Probo secundò eadem resolutionem exemplo vulgari hominis à longe venientis, in quo tantúm cognoscitur formalitas animalis, non cognita formalitate rationalis, quanvis illud animal sit cum illo rationali identificatum. Respondent Adversarii, quòd in eo casu, quanvis rationale non cognoscatur clarè, cognosci semper saltem confusè. Sed contra 1. ergo animal cognoscitur claré, & rationale non cognoscitur claré: ergo differunt in esse cognoscibili. Contra 2. Quandò Phylosophus cognovit Deum latebat ei Trinitas in objecto, non minus quàm rationalitas occulta manet in casu relato: sed nemo hucusque dicit, Philosophum propriè cognovisse Trinitatem: ergo neque cognoscitur rationale propriè, quando animal cognoscitur.

Con-

Confirmo resolutionem ex supra dictis disp. 3. sectione 2. q. 1. n. 295. & 297.

Proponuntur Objectiones, & dissolvuntur.

506 NOstræ resolutioni opponuntur Nominales, quos sequitur Mag. Bonaspes in log. tract. 1. de Ante univ. disp. 2. de distinct. dub. 5. resolut. 2. & 3. & tract. 2. de univers. disp 1. de univers. in genere dub. 6. n. 100. Et Gaurinus in log. disp. 4. de univers in communi expens. 4. ℣. *Prima conclusio.* Pro his omnibus objicies primò. In tantùm daretur præcisio objectiva, in quantùm animal cognosceretur non cognito rationali; sed hoc est falsum: ergo illud. Maior est fundamentum resolutionis. Probas minorem. Quandò animal cognoscitur, rationale est realiter cognitum; sed quod realiter est cognitum, cognoscitur: ergo quando animal cognoscitur, falsum est, quòd non cognoscatur rationale. Probas maiorem. Quandò animal cognoscitur, rationale identificatur realiter cum cognito; sed quod identificatur realiter cum cognito est realiter cognitum: ergo. Probas maiorem. Quando animal cognoscitur, rationale identificatur realiter cum animali; sed animal est cognitum: ergo quandò animal cognoscitur, rationale identificatur realiter cum cognito. *Bona Spes.* *Guarinus.*

508 Respondeo ad objectionem subtilem concessâ maiore, negando minorem; ad cujus probationem nego maiorem; ad cujus probationem nego maiorem: ad cujus probationem distinguo maiorem: quando animal cognoscitur, rationale identificatur realiter cum animali in lineâ physicâ, concedo maiorem:

iorem: in lineâ intentionali, nego maiorem; & distinguo minorem; sed animal est cognitum in linea intentionali, concedo minorem: in linea physica, nego minorem, & consequentiam. Verum est, quòd rationale sit physicè animal, quando animal cognoscitur; (puta in homine) falsum tamen, quòd sit intentionaliter animal. Unde (nota benè) aliud est dicere, quòd rationale identificetur physicè cum animali; aliud, quòd identificetur physicè cum cognito. Verum est, quòd identificetur realiter physicè cum animali, quia illa entitas hominis est eadem in sensu physico; tamen non identificatur physicè cum cognito; quia cognitum dicit lineam intentionalem, in qua rationale est distinctum ab animali.

509 Responderi etiam potest, rationale solùm esse cognitum in sensu substantivo, quando animal cognoscitur; non esse tamen cognitum in sensu adjectivo. Esse cognitum in sensu substantivo, nihil aliud est, quàm habere identitatem cum cognito; at esse cognitum in sensu adjectivo, est habere denominationem essendi cogniti. Igitur non est concedendum, quòd rationale cognoscatur, quando animal cognoscitur, licèt verum sit, quòd rationalem sit, in sensu explicato, realiter cognitum; quia, quòd sit realiter cognitum potest facere sensum substantivum; quòd autem cognoscatur facit sensum adjectivum

510 Instabis. Ergo cognitio, qua animal denominatur cognitum, non denominatur cognitum rationale; sed hoc est falsum: ergo. Illatio sequitur ex dictis. Probas minorem. Si hoc verum esset, sequeretur, cognitionem non attingere animal

prout

prout est à parte rei; sed hoc non: ergo. Probas sequelam maioris. Animal à parte rei est rationale: ergo si cognitio, qua animal denominatur cognitum, non denominaret cognitum rationale, cognitio non attingeret animal prout est à parte rei. Probas etiam minorem. Si cognitio non attingeret animal, prout est à parte rei, talis cognitio attingeret objectum fictum; hoc non: ergo neque illud.

511 Respondeo ad instantiam concessâ illatione, negando minorem; ad cujus probationem distinguo maiorem: si hoc verum esset, sequeretur, cognitionem non attingere animal, prout est à parte rei, idest, non attingere animal secundùm omne id cum quo est identificatum à parte rei, concedo maiorem: idest, non attingere animal verè, & realiter, sed chimæricè, nego maiorem: ad cujus probationem concesso antecedente, distinguo consequens modô dictô. Igitur cognitio attingens animal, aliquid verum, & reale attingit, quanvis non attingat omne id, cum quo realiter physicè identificatur; intellectus namque optimê potest restringere se ipsum ad cognoscendum objectum secundùm aliquam ipsius formalitatem, cùm subjiciatur voluntatis imperio quoad actus secundos. Accedit, quòd cognitio non tendit in objectum prout est in lineâ physicâ, sed prout est in lineâ intentionali, in qua animal non est rationale, & sic cognitio tendens in animal, tendit in objectum prout est à parte rei.

512 Replicabis. Cognitio tendens in animal, & non in rationale, tendit in objectum aliter atque est á parte rei in lineâ physicâ: ergo tendit in

objectum chimæricum. Respondeo ad replicam distinq. antecedens: cognitio tendens in animal, & non in rationale tendit in objectum aliter atque est á parte rei in lineâ physicâ, adæquatè, concedo antecedens: aliter atque est in lineâ physicâ inadæquatè, nego antecedens, & consequentiam. Est dicere, non omne, quod est á parte rei physicé, attingi ab eadem cognitione, cum quo stat, quòd omne, quod a cognitione attingitur detur à parte rei physicè, & si tantùm inadæquatè attingatur.

513 Urgebis. Animal non potest attingi, nisi chimæricè, quin attingatur animal: ergo non nisi chimæricé attingitur, si non attingatur rationale. Antecedens patet ex implicantia terminorum. Probas consequentiam. Non minus illud animal, quod attingitur, est animal, quàm est rationale: ergo. Respondeo ad urgentiam concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem distinguo antecedens: non minus illud animal, quod attingitur, est animal quàm est rationale, in lineâ physicâ, concedo antecedens: in lineâ intentionali, nego antecedens: in linea intentionali, animal non est rationale, ideoque non chimæricè, sed verè attingitur animal, licét non attingatur rationale.

514 Objicies secundò. Quando aliquid de subjecto prædicatur, utique de illo prædicatur quidquid prædicatur de prædicato; sed de rationali prædicatur animal, & de animali prædicatur cognosci: ergo de rationali prædicatur cognosci. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: Quando aliquid, &c. in eo sensu, in quo prædicatur de prædicato, concedo maiorem: in diverso sensu, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: de rationali

præ-

prædicatur animal, in lineâ physicâ, & de animali prædicatur cognosci, in lineâ intentionali, concedo minorem: de rationali prædicatur animal, in lineâ intentionali, & de animali prædicatur cognosci, in lineâ physicâ, nego minorem, & consequentiam.

515 Quanvis de rationali prædicetur animal, & de animali cognosci, non sequitur, quòd de rationali prædicetur cognosci, cùm animal prædicetur physicé de rationali, & cognosci tantùm intentionaliter. Unde regula illa Aristotelica, *cùm quippiam de quoppiam prædicatur ut de subjecto ea quæ de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de subjecto* est vera, dummodó non varietur suppositio, & servetur quantitas destributionis. Patet in eodem animali, de quo prædicatur ratio generis, quæ de homine non prædicatur, licét de illo prædicetur animal; & hoc non alio ex capite, nisi quia genus prædicatur de animali, prout animal fundat logicam intentionem, in quo sensu non prædicatur animal de homine, sed tantùm ut est vivens sensitivum. sic etiam, quia variatur appellatio de prædicatione identicâ ad prædicationem formalem, non valet dicere. *Pater est Deus, Deus est Flius: ergo Pater est Filius.* De his Resolutus in 3. dist. 9. q. 1. art. 2. §. 2. ℣. *Item probo* *Bacconius.*

516 Obiicies tertiò. Aliquod animal non præcindit objectivè à rationali: ergo non est universaliter verum, quòd detur præcisio objectiva inter animal, & rationale. Probas antecedens Ubi datur identitas objectiva dari non potest objectiva præcisio; sed aliquod animal identificatur objectivè cum rationali; ergo aliquod animal non præcindit

objective à rationali. Maior est certa. Probas minorem per hunc syllogismum rectè complicatum in *Darapti* : *Omnis homo est objectivè rationale, omnis homo est objectivè animal* : *ergo aliquod animal est objectivè rationale.* Modó sic. Præmissæ istius syllogismi sunt veræ; sed consequentia negari non potest : ergo aliquod animal identificatur objectivè cum rationali. Maior liquet. Probas minorem. Negatâ illà consequentiâ erit vera illius contradictoria ; sed contradictoria non est vera: ergo.

517 Maior patet ex eo, quòd duæ propositiones contradictoriæ non possint esse simul veræ, nec simul falsæ. Probas minorem. Contradictoria propositionis, quæ est consequentia illius syllogismi, est hæc propositio , *nullum animal est objectivè rationale* ; sed ista propositio non est vera: ergo contradictoria non est vera. Maior est certa. Probas minorem. Si esset vera ista propositio, *nullum animal est objectivè rationale*, sequeretur, nullum hominem esse objectivé rationale, contra id, quod supponitur jam concessum in maiore illius syllogismi ; hoc non ; ergo talis propositio no est vera Probas sequelam maioris. Ista propositio est vera, *omnis homo est objectivè animal* : ergo si etiam esset vera alia, nempe, *nullum animal est* objectivè rationale sequeretur , nullum hominem esse objectivé rationale, per hunc syllogismum in *Celarem* constructum ex talibus præmissis, nempe, *nullum animal est objectivè rationale* ; *omnis homo est objevè animal* : *ergo nullus homo est objectivè rationale.*

518 Respondeo ad objectionem, in qua magnum

num reperitur accumen, negando antecedens: ad cujus probationem, concessâ majore, nego minorem; ad cujus probationem per syllogismum in *Darapti* dico, præmissas esse veras dum faciunt hunc sensum, *omnis homo est objectivè includens rationale; omnis homo est objectivè includens animal*; sed tunc solùm sequitur ista consequentia: *Ergo aliquod includens objectivè animal est includens objectivè rationale*, quæ est vera, quin destruatur objectiva præcisio. Ratio cur ex præmissis adductis debet inferri ista consequentia, & non alia, est, quia ex connexione partium cum toto non infertur earum connexio inter se; cùm autem rationale, & animal dicantur de toto, nempe de homine, in quo includuntur, non est bona consequentia illa in qua rationale dicitur de animali, sed ista: *ergo aliquod quod est objectivè animal, seu includens animal est objectivé rationale, seu includens rationale.* Ea propter ex istis præmissis: *Omnis homo albus est albus; omnis homo albus est homo*, non infertur: *ergo aliquis homo est albus*, sed: *ergo aliquid quod est homo est album.* Similiter ex istis: *Christus est homo; Christus est Deus* non infertur legitimé: *ergo Deus est homo*, sed: *ergo aliquid quod est Deus est homo.* Unde falsó judicant aliqui dicentes, quòd, admissis præcisionibus objectivis, everteretur vix syllogistica; nam si recté examinentur syllogismi, seu potius paralogismi ab ipsis efformati, variatio manifesta invenitur.

519 Objicies quartó. Entitas hominis est indivisibilis: ergo non potest attingi animal absque rationali. Antecedens constat. Probas consequentiam. Si posset attingi animal absque rationali, non attingeretur

tingeretur totus homo; sed qui attingit indivisibile, totum attingit: ergo ex eo, quòd entitas hominis sit indivisibilis non potest attingi animal absque rationali. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: entitas hominis est indivisibilis in lineâ physicâ, concedo antecedens: in lineâ intentionali, nego antecedens, & consequentiam; ad cujus probationem concessâ maiore, & minore, nego consequentiam, quia cognitio attingens animal non attingit animal physicé, sed intentionaliter.

520 Objicies quintò. Objectum in se non potest esse præcisum: ergo non datur præcisio ex parte objecti. Probas antecedens. Objectum solùm extrinsecè cognoscitur: ergo solùm est extrinsecè præcisum. Antecedens est certum. Probas consequentiam. Objectum in tantùm est præcisum in quantùm cognoscitur: ergo si solùm extrinsecè cognoscitur, solùm est extrinsecè præcisum. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam; ad cujus probationem distinguo antecedens: objectum in tantùm est præcisum extrinsecè, in quantùm cognoscitur, concedo antecedens: in tantùm est præcisum intrinsecè, in quantùm cognoscitur, nego antecedens. Unde præcisio intrinseca stat ex parte objecti antecedenter ad actualem cognitionem.

521 Objicies sextò. Repugnat, quòd objectum cognoscatur, & non cognoscatur, adhuc secundùm diversas formalitates: sed hoc sequeretur admissis præcisionibus objectivis: ergo. Probas maiorem. Repugnat, quòd intellectus assentiatur, & dissentiatur objecto, adhuc secundúm diversas formalitates:

tates: ergo etiam, &c. Antecedens est certum. Probas consequentiam. Oppositio contradictoria est maior oppositione contrariâ: ergo si repugnat assensus cum dissensu, adhuc secundúm diversas formalitates, ita, imò a fortiori, repugnabit, quòd objectum cognoscatur, & non cognoscatur, adhuc secundúm formalitates diversas.

522 Respondeo ad objectionem negando maiorem; ad cujus probationem concesso antecedente, nego consequentiam; ad cujus probationem concesso antecedente nego consequentiam. Disparitas est, quia oppositio contraria ut detur, necesse est, quòd res sit aliquid, & simul oppositum exclusivum ipsius: cúm ergo hoc non habeat locum in formalitatibus, quæ in eadem entitate compatiuntur, ideo de eadem entitate nequit verificari contraria oppositio, adhuc secundúm diversas formalitates; at oppositio contradictoria, licét sit maior contrariâ, ut detur, sufficit, quòd res secundúm unam formalitatem dicatur talis, & talis non dicatur secundúm aliam v. g. quód homo dicatur cognitus secundùm animal, & non dicatur cognitus secundúm rationale, quod non repugnat; cúm tales formalitates sint distinctæ in esse objicibili; neque enim ista est contradictio rigorosa propter extremorum distinctionem.

523 Objicies septimò. Animal, quod est in homine non potest cognosci absque rationali: ergo non potest præcindi à rationali. Probas antecedens. Animal, quod est in homine est animal hominis, seu animal humanum; atqui animal humanum non potest cognosci absque rationali: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens; ad cujus probationem

bationem [concessâ maiore, distinguo minorem: animal humanum non potest cognosci absque rationali, si sumatur ut humanum reduplicativé, concedo minorem: si præcisè sumatur ut vivens sensitivum, nego minorem, & consequentiam. Ratio est, quia animal sumptum reduplicativé ut humanum, nihil aliud est quàm homo, qui certé cognosci nequit absque rationali; at verô animal præcisé ut vivens sensitivum, non est homo, quia ut vivens sensitivum reperitur in bruto, in quo non reperitur rationale.

524 Instabis. Ergo animal ut humanum non potest cognosci absque rationali; sed animal in homine non potest cognosci nisi ut humanum: ergo animal in homine numquam potest cognosci absque rationali. Respondeo ad instant. concessâ illatione, negando minorem subsumptam, & consequentiam: multoties enim accidit, quôd intellectus noster in homine attingat animal, & non rationale, toties quoties homo videtur á longe ambulans, & sic non attingit animal ut humanum, licét attingat animal in homine, seu animal hominis.

525 Objicies octavó. In eodem rationali non præcindit objectivè ratio contrahens genus à ratione constituente speciem: ergo in eodem homine nequit præcindere animal à rationali. Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est, quia rationale in tantùm constituit speciem, in quantùm contrahit genus, cùm ergo non reperiatur, nec reperiri possit contractio generis absque constitutione speciei, ideo non datur præcisio; at hæc ratio non militat in animali hominis erga rationale; cùm ab illo formaliter

maliter differat in esse cognoscibili; & reperiatur sine rationali.

526 Instabis. Negari saltem non potest, quòd contractio animalis reperiatur absque constitutione determinatæ speciei; atqui, hoc non obstante, in eodem rationali nequit præcindi objectivè contrahere animal à constitutione determinatæ speciei: ergo licèt animal reperiatur absque determinatâ differentiâ, non inde potest in eodem homine præcindi objectivè à rationali. Respondeo ad instant. concessâ maiore, negando minorem in qua est accumen instantiæ, & consequentiam. Igitur in eodem rationali, licèt non possit præcindere ratio contrahendi genus à ratione constituendi speciem; potest tamen ratio contrahendi genus præcindere à ratione constituendi speciem determinatam. Ratio mihi est quia in rationali potest præcindere illa ratio per quam cum irrationali convenit, à ratione per quam ab illo differt; cùm autem rationale cum irrationali conveniat in ratione contrahendi genus, & differat in ratione constituendi determinatam speciem, nempe humanam, ideo in eodem rationali potest una ratio ab alterâ objectivè præcindere.

527 Replicabis. Quia in rationali ratio constituendi speciem humanam numquam reperitur sine ratione contrahendi genus, ratio contrahendi genus includitur formalissimé in ratione constituendi speciem: ergo, quia in homine animal numquam reperitur sine rationali, rationale non præcindit objectivé ab animali. Respondeo ad replicam distinguendo antecedens: quia etiam, concedo antecedens: quia solùm, nego antecedens, & consequentiam. Ratio adæquata, & totalis qua prop-

ter

ter ratio contrahendi genus includitur formalissimé in ratione constituendi speciem humanam, non est præcisé, quia ratio constituendi speciem humanàm numquam reperiatur sine ratione contrahendi genus, sed quia de ratione constituendi speciem, quæcumque illa sit, est contrahere genus; at quanvis animal hominis sit physicé rationale, tamen sine rationali reperitur saltem in esse objicibili; cùm habeat essentiam diversam à rationali.

528 Objicies nonò. Semel, quòd objectum delectabile sit intrinsecé malum nequit voluntas amare objectum secundùm rationem delectabilis, quin amet secundùm rationem malitiæ: ergo semel, quòd animal sit intrinsecè rationale, ut est in homine, nequit præcindi à rationali. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: Semel, quòd objectum, &c. Si proponatur voluntati ut malum, concedo antecedens: si non proponatur ut malum, sed præcisè ut delectabile, nego antecedens, & consequentiam; quia in nostro casu animal non objicitur ut animal humanum, sed ut præcisé est vivens sensitivum, ideoque præcindit objectivé à rationali.

529 Objicies decimò. Unio non præcindit objectivé à suis extremis: ergo neque animal à suis differentiis. Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est; quia unio est essentialiter vinculum duorum, & cùm nihil possit præcindere à sua essentiâ, inde unio à suis extremis præcindere non potest, qua de causâ, cognita unione, cognoscuntur extrema saltem indirecté; at verò animal in lineâ objicibili non est essentialiter rationale, sed est à rationali formaliter

maliter intentionaliter distinctum, & si physicé habeat identitatem cum illo.

530 Objicies undecimò. Color non præcindit objectivé à sua differentia specifica in esse objicibili ad visum: ergo neque animal à rationali in esse objicibili ad intellectum. Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est, quia si color præcinderet objectivé à sua differentia specifica in ordine ad visum., posset visus patrare formaliter universale;. quod est falsum; quia visus quantumvis aliquando attingat colorem, quin discernat inter unum, & alium, id ex eo provenit, quòd debiliter colorem attingat; quare solùm occasionaliter præcindit visus propter sui debilitatem, quia saltem tenué, & remisé semper discernit inter colorem, & colorem; at veró, quòd intellectus præcindat formaliter, & faciat formaliter universale verum est, ideoque non est assignabilis ratio convincens contra præcisionem objectivam in ordine ad intellectum inter animal, & rationale

531 Objicies duodecimo, & ultimò fundamento principali partis adversæ. Admissis præcisionibus objectivis, verificarentur prædicata contradictoria de eadem indivisibili entitate, qualia sunt *cognosci*, & *non cognosci*; sed hoc repugnat: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Repugnat, quòd de eadem indivisibili entitate verificentur hæc contradictoria, *produci*, & *non produci*, *existere*, & *non existere*: ergo etiam &c. Hæc objectio videtur insolubilis Mag. Bonaspei in log. tract. 1. de Ante univ. disp. 2. de distinctionibus dub. 5. à n 194. usque ad n. 207. cujus sunt hæc verba: *Velis nolis* *Bona Spes.*

ad-


admittere debes paritatem inter produci, & non produci ex una parte, concipi, & non concipi ex alia. Tamen genuina solutio constat ex supra dictis hac eadem disp. sectione 1. q. 3. n. 435. Solùm addo hîc alia verba Mag. Lumbier tom. 1. de Essentia, & attributis q. 14. art. 6. n. 794. ubi inquit: *Et enim longa disparitas: produci enim, & non produci sunt de entitativo in quo animal, & rationale sunt idem; & de eodem, eodem modo quo est idem, repugnat forma, & carentia. At cognosci, & non cognosci sunt de lineâ intelligibili in qua animal, & rationale non sunt idem, sed intelligibiliter, & metaphisicè diversa: & sic forma, & carentia non sunt secundùm idem, quia animal perfectè noscitur, rationale autem per sensationem, nec confusé, sed penitus non cognoscitur.* Ex dictis

Lumbier.

532 Deduces primò, non repugnare illa contradictoria, *cognosci, & non cognosci*: cùm verificentur de eodem non secundùm idem, sed secundùm diversas formalitates. Nec inde admittas circulum vitiosum; nam, quærenti, quare detur præcisio objectiva, respondebis, quia una formalitas potest cognosci non cognitâ aliâ. Roganti mox, cur una formalitas cognosci potest, non cognitâ aliâ, non respondebis, quia ibi est præcisio objectiva, (nam hoc jam esset vitiosè circumire) sed, quia habet essentiam diversam in linea intelligibili.

533 Deduces secundò, præcisiones objectivas non tantúm habere locum in creatis, sed etiam in Divinis; dummodo prædicata quidditativa Dei non considerentur secundùm esse absolutum; quod habent in se, sed tantùm secundùm suas rationes formales respectivas, seu repræsentativitates, quas fun-

fundant ex natura rei per ordinem ad intellectum. Opus non est in his amplius immorari, quia quod circa distinctionem formalem intentionalem diximus disput. 3. sectione 2. q. 2. & 3. id ipsum militat etiam circa objectivam præcisionem. Et hæc pro distinctionibus.





DISPUTATIO V.

DE QUIDDITATE, ET QUOTUPLI-citate Identitatis.

SECTIO I.

De quidditate Identitatis.

QUÆSTIO UNICA.

In quo consistat Identitas?

Bacconius. *Zagaglia.*

534 ESOLUTIO est: Identitas consistit in positivo. Deducitur ex Doctore in 1. dist. 33. q. 1. art. 2. §. 4. quem citat, & sequitur Mag. Zagag. tom. 2. tractatu 2. disp. 2. sect. 1. §. 1. n. 8. ubi hæc habet: *Summa opinionis ejusdem* (Bacconii) *est, quòd unum, vel idem non dicit formaliter indivisionem, & privationem, sed positionem, sive positivum.* Idem ex eodem docet Mag. Aymus in Metaph. p. 1. dist. 2. §. 2. q. un. art. 2. ℣. *Resolutio 2. unitas secundùm se.* Concurrunt

Aymus. *Mastrius.* *Guarinus.*

currunt in hanc eamdem opinionem Mastrius in Metaph. disp. 6. de passionibus entis q. 7. art. 1. n. 141. Guarinus in Log. disp. 3. de Identitatibus, & Distinctionibus expens. 1. ℣. *Prima conclusio.* Antequam resolutionem probem, prænoto, identitatem opponi contradictoriè distinctioni; unitatem verò opponi contrariè multitudini, licét identitas in unitate fundetur. Unde sicut distinctio dicit negationem identitatis, ita multitudo dicit privationem unitatis: identitas tamen in rei veritate non dicit negationem distinctionis, nec unitas negationem multitudinis; quia juxta Bacconium universaliter est verum, quòd in quacumque divisione sola imperfectior differentia habet rationem privationis in rei veritate. Hoc prænotato,

535 Probo resolutionem, & primo sic. Distinctio opponitur contradictoriè identitati; sed distinctio importat formaliter negationem: ergo identitas formaliter consistit in positivo. Maior, & minor constant ex dictis disp. 1. sectione 1. q. 1. consequentia est bona. Secundò sic. Identitas dicit formaliter perfectionem; sed perfectio est quid positivum: ergo. Tertio sic. Negatio ex suo conceptu dividit, privat, & expoliat aliquid de aliquo; sed identitas nec dividit, nec privat, nec expoliat, imò è contra unit, & conjungit: ergo identitas non in negatione, sed in positivò consistit.

Proponuntur Objectiones, & dissolvuntur.

536 NOstræ resolutioni opponuntur Mauritius in Epitom. Formalit Augustinus Laurētius in Metaph. tract. 1. disp. 7. sectione 5. n. 198. & alii di- *Mauritius. Aug. Laur*

dicentes, identitatem consistere in negatione distinctionis, pro quibus objicies primò. Distinctio consistit formaliter in negatione identitatis: ergo identitas consistit formaliter in negatione distinctionis. Antecedens constat ex dictis disp. 1. sectione 1. q. 1. Probas consequentiam. Oppositorum eadem est ratio; sed distinctio, & identitas opponuntur: ergo si distinctio consistit in negatione identitatis, identitas consistit in negatione distinctionis. Respondeo ad objectionem concesso antecedente, negando consequentiam; ad cujus probationem distinguo maiorem: oppositorum eadem est ratio, in aliquibus, concedo maiorem: in omnibus, nego maiorem. Implicat, quòd sit eadem omnino ratio oppositorum, præcipuè contradictoriorum, quorum unum necessariò debet esse positivum, & alterum negativum; aliàs non opponerentur contradictorié: cùm ergo distinctio, & identitas contradictoriè opponantur, simel, quòd distinctio dicat formaliter negationem, oportet, quòd identitas sit aliquid positivum.

537 Objicies secundò. Sicut se habet unitas ad multitudinem, ita se habet identitas ad distinctionem; sed ex eo, quòd multitudo dicat negationem unitatis, unitas dicit negationem multitudinis: ergo ex eo, quòd distinctio dicat negationem identitatis, identitas debet dicere negationem distinctionis. Respondeo ad objectionem datâ maiore, negando minorem; quia unitas in rei veritate non dicit negationem, sed aliquid positivum, licét multitudo importet privationem unitatis. Ratio est, quia unitas est perfectior multitudine, ut per se patet, & in qualibet divisione sola imperfectior differentia

d cit


dicit privationem formaliter, ut docet Bacconius loco sup. ℣. Ad propositum his verbis: *Quia universaliter est verum, quòd in omni divisione imperfectior differentia habet rationem privationis in rei veritate; sed cùm dividitur substantia in corpoream, & incorpoream, Incorporeum est perfectior differentia ut per se patet: igitur corporeum in rei veritate est privatio respectu incorporei, & incorporeum est solùm privatio secundùm famositatem nominis: sed in proposito, cùm ens dividitur in unum, & multa, per se patet quòd ratio unius est perfectior, quàm ratio multitudinis, sicut simplex compositio. Igitur unum dicit privationem solùm secundùm nominis famositatem. & multitudo secundùm rei veritatem.* Dixi sup. *data maiore*; quia unitas, & multitudo solùm contrariè opponuntur. *Bacconius.*

538 Objicies tertiò, & erit instantia præcedentis objectionis. Unitas est carentia plurium entitatum; sed carentia plurium entitatum dicit negationem multitudinis: ergo unitas dicit negationem multitudinis. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: unitas est carentia plurium entitatum, quoad modum significandi, concedo maiorem: quoad rem significatam, nego maiorem. Unitas quoad rem significatam solúm consistit in simplicitate, & est aliquid positivum oppositum contrariè multitudini, ut docet Philosophus 10. Metaph. cap. 4. ubi de uno, & multo hæc habet: *Cùm autem oppositiones quatuor sint modi, & horum alius secundùm privationem dicatur, contraria erunt profectò.* Unde non fit bonum argumentum ab unitate ad identitatem; quia unitas, & multitudo sunt positiva, & contrariè tantúm opposita, *Aristoteles.*

licèt multitudo dicat privationem unitatis; identitas verò,] & distinctio non sunt positiva, sed sunt opposita contradictoriè, ideoque opus est, quod identitas sit quid positivum, distinctio quid negativum. Ex his

539 Deduces, identitatem describi posse in hunc modum: *Affirmatio unius de alio.* Adverte tamen, nullam excogitari posse veram, & rigorosam identitatis definitionem; quia omnis definitio identitatis, quæcumque illa sit, semper includit verbum *est* vel explicitè, vel implicitè, adeoque includit identitatem ipsam. Unde meritó D. Augustinus super Psalm. 121. *Id ipsum* (inquit) *quomodo dicam, nisi id ipsum.*

D. August.



SECTIO II.

De Quotuplicitate identitatis.

QUÆSTIO UNICA

Quotuplex sit Identitas?


540 RESolutio: Duæ tantúm sunt identitatis species, altera ex naturâ rei, rationis altera, quæ ulterius subdividi possunt, proportione servatâ, sicut species distinctionis, de quibus disp. 1. sectione 2. Unde generaliter loquendo, species identitatis sunt tot, quot sunt distinctionis species. Ut tamen in hac re vitetur confusio, quæ ex tot identitatis speciebus oriri potest; adver-

adverte, duplicem tantùm identitatem, penes extremorum identificatorum differentiam, distingui specialiter à Philosophis cum Aristotele 5. Metaph. cap. 9. textu 16. Altera est illa, qua res est eadem in se ipsa, seu respectu sui ipsius, quo tantùm modò dicitur Socrates v. g. idem numero secum. Altera illa est, qua plura objecta realiter physicè distincta, dicuntur idem ratione alicujus prædicati omnibus communîs, quo pacto dicuntur idem Socrates, & Plato in ratione hominis. Prima identitas dicitur realis physica; secunda verò realis intentionalis. Unde sicut non repugnat, quòd distinguantur intentionaliter, quæ identificantur physicè, ita nec quòd inter physicé distincta detur identitas intentionalis. *Aristoteles.*


541 *Quod autem pertinet ad usum vocum* (verba sunt P. Suares, observatione dignissima, disp. 7. Metaph. sectione 3. n. 3.) *est observandum convenientiam hanc plurium rerum in ratione communi in substantiis retenuisse nomen identitatis, simpliciter loquendo, ex accomodatione usus, & quasi per antenomasiam; in qualitatibus verò vocari similitudinem; in quantitate verò vocari æqualitatem, quanvis hæc vox non tantùm significet convenientiam in essentiali ratione in magnitudine.* *Suares.*

542 Si tandem scire cupis, quale sit adæquatum signum identitatis realis, respondeo, esse inseparabilitatem aliquorum tam actualem, quam potentialem, & proportionalem; cum enim distinctio contradictoriè opponatur identitati, circa istam discurrere oportet, proportione servatâ, ac circa distinctionem, ut identitas per oppositum clarius elucescat. Sic que huic disputationi, & insimul

toti tractactui, ultimò manum imponimus, hæc sufficere putantes pro notitia distinctionum, & identitatum. Utinam scripta hæc usque ad minimum lota cedant in Dei laudem, purissimæque Virginis MARIÆ, D. Joseph. D. Joachimi, D. Annæ, Sanctorumque Parentum meorum Eliæ, & Elisei, omniumque in felicissima sede regnantium.



IN-



INDEX RERUM PRINCIPALIUM.

Numerus indicat paragraphum.

A

Actio.

NOn identificatur realiter cum ſubjecto, n. 204.

Actus.

Actus Dei liberi poſſunt ſeparari ab entitate neceſſaria quoad terminationem, n. 84.

Attributum Divinum.

Quid ſit? n. 249.

Attributa non dicunt in Deo multiplicitatem abſolutam, ſed tantùm reſpectivam, n. 258.

Unum attributum includit aliud in lineâ phyſicâ, & abſolutâ; non tamen in linea reſpectiva, n. 270.

Attri-

Attributa tranſcendentalia in quo differunt ab aliis attributis? n. 369.

Nullum in Deo reperitur attributum, quod non dicat ordinem ad intellectum, n. 371.

C

Capacitas.

CApacitas prædicatorum contradictoriorum non eſt ſignum adæquatum, & convertibile cum diſtinctione reali, n. 103.

Cauſa.

Idem non poteſt cauſare ſe ipſum, n. 49.

Poteſt nihilominus eſſe cauſa ſui ipſius quantùm ad firmius eſſe, num. 167.

Circulus.

Non committitur in Divinis ex vi diſtinctionis virtualis, n. 452.

Nec in creatis ex vi præciſionis objectivæ, n. 532.

Compoſitio.

Non datur in Deo, adhuc intentionalis, n. 349.

Conſtitutivum.

Conſtitutivum formaliter tale recurrit cum di-

ſtinctivo fundamentali, n. 26.

Contradictoria.

Alia dicuntur abſoluta, alia intentionalia, n. 405.

Contradictoria intentionalia non ſunt contradictoria in rigore, n. 435.

Corruptio.

Corruptionis diverſitas non eſt ſignum adæquatum, & convertibile cum diſtinctione reali, n. 94.

D

Deus.

EST infinitus in genere perfectionis Divinæ, propter identitatem cum Divinis perfectionibus, in genere veró perfectionis creatæ propter eminentiam, quam habet n. 60.

Non dicitur odio habitus per actum Contritionis, licèt ad ipſum terminetur odium, num. 422.

Deus intelligit malum, & non vult malum, n. 474.

Divinum.

Ut aliquid concipiatur Divinum opus non eſt, quód concipiatur importans ſimpliciter infinitatem, n. 352.

Dif-

Differentia.

De ratione differentiæ ut sic est facere rem differe; de ratione verò differentiæ formalis est facere rem formaliter differre, n. 29.

Differentiæ entis non possunt distingui formaliter intentionaliter adæquatè ab ente, num. 313.

Potest nihilominus ens distingui adæquaté intentionaliter à differentiis n. 314.

Distinctio.

Consistit formaliter in negatione identitatis, n. 1.

Definitur: *Negatio identitatis unius cum alio*, n. 3.

Dicit necessariò multiplicitatem in rei veritate, n. 34.

Assignantur illius divisiones, n. 36. usq. ad n. 48.

Ut detur distinctio positiva non sufficit, quòd in uno ponatur aliquid positivum, quod non reperiatur in alio, sed oportet, quòd in utroque extremo reperiatur aliquid positivum, n. 42.

Destinctio Realis.

Reperitur inter producens, & productum, causantem, & causatum, n. 49.

Etiam si producens sit accidentale, n. 56.

Non datur distinctio realis inter totum, ut partes unitas, n. 58.

Non arguitur distinctio realis in Divinis ex op-

positione producendi, & non producendi, num. 59.
Distinctio realis arguitur inter illa, quae sunt in rebus realiter distinctis n. 60.
Etiam inter illa, quae sunt separabilia, n. 73.
Signum distinctionis realis quale sit? Vide *Signum.*

Distinctio Modalis.

Non reperitur inter eamdem rem ut modificatum, & non modificatam, ut vult Ægidius, n. 44.
Est proprié distinctio realis n. 188.
Non est maior distinctione reali, n. 209.

Distinctio Gradualis.

Non est modalis, n. 206.
Est realis proprié, n. 207.
Datur inter essentiam, & existentiam creatam, n. 108.
Reperitur etiam inter naturam substantialem creatam, & subsistentiam, n. 154. Vide V. *Essentia creata*, & V. *Subsistentia.*

Distinctio formalis Scotica.

Non datur inter gradus metaphysicos creatos, n. 217.
Est minor distinctione reali physica, & maior distinctione rationis, n. 219.
Non datur distinctio Scotica inter essentiam, & attributa, nec inter attributa ad invicem comparata, n. 247.

Nec

Nec inter essentiam Divinam cum relationibus comparatam, n. 271.

Distinctio formalis Bacconica.

Est minor distinctione reali physicâ, n. 292.
Non est tantùm fundamentalis, sed formalis ante intellectum. Ibidem.
Non differt à Scotica in eo, quód ista sit de linea physica, illa non n. 293.
Assignatur distinctio, n. 294. & 308.
Distinctio formalis Bacconica non consistit in diversa cognitione, sed in diversa cognoscibilitate, n. 302.
Datur inter gradus metaphysicos creatos. 289.
Etiam inter essentiam Divinam comparatam cum attributis, & inter attributa ad invicem comparata, n. 339.
Talis distinctio in Divinis solùm dicit respectum ad intellectum creatum, non ad Divinum intellectum, n. 341.
Ex distinctione formali intentionali in Deo reperta non sequitur compositio, adhuc intentionalis, n. 349.
Datur distinctio formalis intentionalis Bacconica inter essentiam, & relationes Divinas, n. 374.
Non salvat contradictoria physica in Divinis, sed tantùm intentionalia, n. 379.
Distinctio formalis intentionalis, quam admittit Bacconius, est distinctio D. Thomæ, licèt non ita explicetur à Thomistis, sicut à Bacconistis propugnatur, n. 394.

Distinctio Virtualis.

Assignatur conceptus distinctionis virtualis in communi, n. 502.
Distinctio virtualis non est maior distinctione reali, n. 395.
Solùm est realis in virtute, ideoque dicit virtualem tantùm negationem identitatis realîs, Ibidem.
Non habere identitatem virtualem cum aliquo non recurrit cum distinctione virtuali, nisi in rebus physicé identificatis, n. 418.

Distinctio virtualis maxima.

Quomodò definiatur? n. 502.
Non admittitur in creatis ad salvanda contradictoria physica, n. 404.
Nec ad salvanda contradictoria intentionalia, n. 431.
Salvat contradictoria physica in Divinis, n. 440.
Facit quód munus unius non sit munus alterius, n. 441.
Admissâ distinctione virtuali maxima in Divinis, adhuc salvatur tota veritas Concilii Florent. Caventis inter essentiam, & relationes distinctionem quamcumque veram, & rigorosam, n. 444.
Quomodò possit unum esse distinctum in Divinis, quin distinguatur n. 458.
Ex distinctione virtuali in Divinis non arguitur distinctio Scotica, n. 464.

Di-

Distinctio virtualis non evertit principium illud: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, n. 468.
Non est admittenda distinctio virtualis maxima inter intellectum, & voluntatem Divinam ad salvanda contradictoria absoluta, n. 469.

Distinctio virtualis minima.

Quid sit? n. 502.
Datur in creatis, n. 485.
Non habet virtutem distinctionis formalis intentionalis, sed solùm est virtus ad illam, n. 491.
Distinctio virtualis minima etiam in Divinis reperitur, n. 492.
Sola distinctio virtualis minima est fundamentum distinctionis formalis intentionalis tam in creatis, quàm in Divinis. Ibidem, & n. 495.

Distinctio rationis.

Quid sit? n. 39. & 40.
Datur etiam ex parte objecti, n. 503.

E

Ens.

ENs intentionale formale mediat inter esse physicum, & rationis puré, n. 337.

Enti-

Entitas.

Entitas Corporis, & Sanguinis Christi non reproducitur absolutè, sed eorum dumtaxat præsentia sub speciebus panis, & vini, n. 52.
Eadem entitas physica potest esse multiplex in linea intentionali, n. 290. & 291.

Esse intentionale.

Resultat ab esse physico, n. 338.
Sed opus non est, quòd detur diversum esse physicum ut detur esse intentionale diversum, n. 305.

Essentia Divina.

Non importat unitatem transcendentalem formaliter in esse conceptibili, n. 368.
Solùm est de Conceptu Paternitatis in esse rei, non in esse objecibili, n. 385.
Est simpliciter infinita non solùm in esse rei, sed etiam in esse objicibili; verùm non includit in suo conceptu omnes perfectiones Divinas formaliter, n. 390.

Essentia creata.

Distinguitur ab existentia gradualiter, n. 108.
Essentia possibilis quando transit ad actum, solùm immutatur in essendo, non in essentiâ, n. 131.
Essen tia actualis non distinguitur realiter physi-

cè ab actuali existentia, n. 150.
Essentia actualis, sumpta reduplicativé, nec gradualiter distinguitur ab actuali existentiâ; secus verò si specificativè sumatur, n. 152.
Essentia possibilis nec physicè, nec gradualiter distinguitur ab existentià possibili. Ibidem.

F

Formæ.

HAbent essentialiter quod aliis dant, etiam accidentaliter, n. 4.
Præstant suum effectum vel adæquatum, vel inadæquatum in subjectis, in quibus reperiuntur, n. 427.

Fundamentum.

Fundamentum distinctionis Bacconicæ aliud dicitur proximum, aliud remotum, n. 336.

G

Generatio.

GEnerationis diversitas non est signum adæquatum distinctionis realis, n. 94.

Gradus.

Gradus metaphysicus quid sit? n. 218.

Quo-

Quomodò desumantur à partibus physicis? n. 241.

I

Idem.

NOn potest simul esse, & non esse, sumptum secundùm idem; secus si aliter sumatur, n. 279.
Potest idem in Divinis affirmari quoad esse, & negari quoad munus de eadem entitate, n. 449.
Ex eodem in quantum idem potest resultare non idem, n. 359.
De nulla entitate creata potest idem prædicatum affirmari simul, & negari cum veritate, n. 406.

Identitas.

Consistit in positivo, n. 534.
Sic describitur: *Affirmatio unius de alio*, n. 539.
Quotuplex sit? n. 540.
Potest excludi maior identitas, quin excludatur minor. n. 399.
Identitas, sive indistinctio virtualis est maior reali, n. 400.
Quale sit signum adæquatum identitatis realis? n. 542.

Intellectus.

Potest dici formaliter multiplex à multiplici cognitione, n. 303.

Intellectus, & voluntas notionalis in quo differant ab intellectu, & voluntate essentiali? n. 470.

L

Lumbier.

Elogium, n. 225.

Libertas.

Libertas contradictionis, & contrarietatis in quo differant? 428.

M

Malitia.

Malitia formalis peccati consistit in privativo juxta Baccon. n. 408.

Materia prima.

Essentia materiæ primæ non distinguitur gradualiter ab existentia, n. 121.

Mysterium Incarnationis.

Non salvatur sola distinctione virtuali inter naturam, & subsistentiam creatam? n. 180.

Modus.

Distinguitur realiter à sua realitate, n. 77.
Non potest existere independenter ab illa, num. 196.

Mo-

dus translationis ſumatur, n. 187.
Vide V. *Natura.*

Subſiſtentia.

Diſtinguitur realiter gradualiter à natura, num. 154.
Differt à ſuppoſito, & Perſona, n. 157.
Non eſt effectus agentis, n. 185.
Non eſt modus naturæ, n. 186.

T

Tranſcendentalia.

NOn impedit quòd conceptus tranſcendens poſſit adæquatè diſtingui formaliter in eſſe objicibili á ſuis differentiis, n. 311.

V

Verbum Dmivinu.

PRocedit realiter tam per intellectum, quàm per voluntatem eſſentialem, n. 483.
Proceſſio Verbi eſt generatio, non proceſſio Spiritûs Sancti, n. 484.
Et quare? Ibidem.

Unio.

Non eſt tertia entitas, aut modus diſtinctus à materia, & forma, n. 411.

Unio hypoſtatica quare dicitur omnium maxima? n. 398.

FINIS LAUS DEO.

